BREVIARIUM

PHILOSOPHIÆ
SCHOLASTICÆ

AUCTORE

EUGENIO GRANDCLAUDE

DOCTORE IN SACRA THEOLOGIA ET IN JURE CANONICO, PHILOSOPHIÆ PROFESSORE

Editio nova, aucta et emendata

TOMUS PRIMUS

LOGICA ET METAPHYSICA GENERALIS.

PARISIIS

SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS

10, RUE CASSETTE, 10

BREVIARIUM

PHILOSOPHIÆ

SCHOLASTICÆ

I

BREVIARIUM
PHILOSOPHIÆ
SCHOLASTICÆ
I

IMPRIMATUR

Sancti Deodati, die 3ª augusti 1863.

† LUDOVICUS-MARIA.

Episc. Sancti Deodati.

Posita licentia D. Illust. ac reverendissimi episcopi Sancti Deodati, imprimatur.

Rhedonis, die 26ª septembris 1867.

† G., *Arch. Rhedonensis.*

REIMPRIMATUR

Sancti Deodati, die 18ª augusti 1877.

† MARIA-ALBERTUS.

Episc. Sancti Deodati.

IMPRIMATUR HÆC OCTAVA EDITIO

Sancti Deodati, die 7ª martii 1885.

† MARIA-ALBERTUS.

Episc. Sancti Deodati.

Tipis Cisterciii.

BREVIARIUM
PHILOSOPHIÆ
SCHOLASTICÆ

AUCTORE

EUGENIO GRANDCLAUDE

DOCTORE IN SACRA THEOLOGIA ET IN JURE CANONICO, VICARIO GENERALI
NUNC SEMINARII SANCTI DEODATI SUPERIORE

Editio octava aucta et emendata

TOMUS PRIMUS

LOGICA ET METAPHYSICA GENERALIS.

PARISIIS
SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS
4, via «Cassette», et via «de Rennes», 75.

1886

BREVIS ANIMADVERSIO

AD VIII^{am} EDITIONEM

Post primam editionem hujus *Breviarii*, anno 1863 typis mandatam, nonnullæ prodierunt Institutiones philosophicæ omni laude dignæ, quæ *auream sancti Thomæ sapientiam restituunt*. Campum ergo deserere forsan expediret, qui a validioribus occupatur; at ratio philosophandi a multis nunc usurpata, quæ incerta systemata, tanquam doctrinam minime dubiam inconcussaque doctoris Angelici principia introducit, exigere videtur ut diligentius secernantur comperta a dubiis controversisque, nempe ut a communi doctrina scholasticorum distinguantur sententiæ quæ olim scholas dividebant, vel recentiori ævo fuerunt introductæ.

Qua de causa opportuna ac utilis nobis visa est, etiam in præsenti, illa exponendi methodus in prioribus editionibus *Breviarii Philosophiæ scholasticæ* adhibita, qua non confunditur genuina divi Thomæ doctrina cum sententiis discrepantibus ejus interpretum.

Hoc speciale erit editioni huic octavæ, quod initio capitum et articulorum indicantur loca præcipua operum S. Thomæ in quibus directe vel indirecte agitur de argumento illarum divisionum; tamen, opera in quibus S. Doctor tracta speciatim de eadem materia generali quam aggredimur, notantur semel tantum et generatim in ipso initio illius partis Philosophiæ ad quam spectant.

Deinde, majori studio notavimus diversas sententias antiquorum scholasticorum, præsertim circa illas quæstiones in quibus solvendis recentiores non pauci opiniones controversas inconsulto subjiciunt pro communi inconcussaque doctrina. Quando ejusmodi quæstiones minoris sunt momenti, ita ut tyronum mentem illis subtilitatibus obruere minime expediat, brevi notatione in inferiori paginarum parte distinctiones debitæ recensentur : consilium enim nobis nunquam fuit omnes controversias referre, sed illas tantum quæ magis utiles vel necessariæ videntur ad theologiam scholasticam discendam.

BREVIARIUM

PHILOSOPHIÆ

SCHOLASTICÆ

PROŒMIUM

§ I. — De Philosophiæ definitione.

1.— Philosophiæ definitio, quæ recta sit omnibusque probata, ducenda est, non a præconceptis systematibus, sed a sensu vocis usu constanti præsertim determinato, tanquam a principio communiter recepto.

Porro vocamen Philosophiæ, a vocabulis græcis φιλος et σοφια desumptum, ex etymo *amorem* aut *studiosam sapientiæ inquisitionem* significat. Illud a Pythagora subditum fuit voci Sapientiæ, quæ apud antiquiores philosophos invaluerat.

Sapientia autem, quæ juxta etymologiam vocis, idem sonat ac scientia quæ menti maxime *sapit*, est scientia perfectissima seu *cognitio rerum per causas altiores;* porro *scientia* appellatur quæcumque *cognitio per causas*. Igitur sapiens dicitur qui ad ultimas rerum causas perscrutando devenit seu supremam callet scientiam.

2.— Philosophia, juxta etymon vocis, non esset tam sapientia quam amor seu studiosa inquisitio sapientiæ, id est, inclinatio et conatus mentis ad hanc rerum per altissimas causas cognitionem. At, juxta nominis usum, præsertim apud antiquiores, non est quid diversum ab ipsa sapientia.

Verum Philosophia non est sapientia simpliciter sumpta, quæ scilicet in altissimis omnium causis res cognoscit, cum Theologia in ultimis plane rationibus, nempe

principiis supernaturalibus, res contueatur, dum sapientia naturalis, nempe Philosophia, terminis ordinis naturalis circumscribatur.

3. —Philosophia ergo definiri potest : *Scientia rerum omnium per altiores causas ordinis naturalis.*

Philosophia dicitur : 1° *Scientia rerum omnium;* agitur enim de rebus omnibus, nempe de mundo, de homine, de Deo. Verumtamen, Philosophia non consistit in qualibet cognitione omnium rerum, imo neque in qualibet cognitione *scientifica*, seu per causas, sed in ea quæ acquiritur; 2° per *altiores causas*, id est per altiora principia : scientiæ naturales, a Philosophia diversæ, mundum et hominem pro objecto habent, sed ea non perscrutantur in altioribus causis, seu in rationibus ultimis, verum in proximis tantum. Hinc discriminantur a Philosophia, quæ in rationes omnium rerum altissimas investigandas incumbit.

Alia ex parte, scientiæ supernaturales suo etiam modo disceptant de homine, de mundo, et potissimum de Deo; sed illud triplex objectum respiciunt in lumine supernaturali. 3° Hinc per tertiam partem definitionis : *ordinis naturalis*, Philosophia distinguitur a Theologia : illa enim tractat de causis altioribus, sed intra ambitum solius ordinis naturalis.

Cor. Ergo a sensu communi sapientium dissident et vitio evidenti laborant definitiones sequentes, tum rationalistarum : *Philosophia est scientia cogitationis, seu animi cogitantis*, tum ontologorum : *Philosophia est scientia entis absoluti*, vel *veritatum absolutarum, ut talium.*

4° Quid sit Philosophia *scholastica?* Philosophi possunt triplici modo progredi in inquisitione sapientiæ : 1° Sic ut *penitus* excludantur principia revelata, sive tanquam figmenta, sive tanquam inutilia aut impedientia : inde Philosophia *rationalistica*, quæ ordinem supernaturalem non admittit, et ideo ultimam partem rectæ definitionis rejicit. 2° Sic ut principia rationalia cum principiis revelatis ita confundantur, ut ipsa revelatio initia necessaria suppeditet : in hunc excessum oppositum prolapsi sunt *Traditionalistæ* recentiores. Demum 3° sic ut principia rationalia conferantur sedulo cum revelatis, eisque tanquam normæ superiori et extrinsecæ subjiciantur; ita procedebant sive Patres Ecclesiæ, sive Doctores mediæ

ætatis : hinc Philosophia *christiana*. Hæc Philosophia, cum fuerit a scholasticis ordine systematico digesta, stylo severiori exposita, ac proinde ad formam perfectissimam adducta, merito vocatur *scholastica*.

Hujus Philosophiæ scholasticæ elementa tradimus. Hinc titulus noster : *Breviarium Philosophiæ scholasticæ*.

§ II. — De utilitate Philosophiæ.

4. — Philosophia considerari potest : 1° in ordine ad alias scientias; 2° respectu hominis quem perficit et dirigit, 3° relate ad fidem revelatam cui utiliter deservit, et ex hoc triplici capite manifestatur ejus utilitas.

I° Philosophia est utilissima ad alias scientias discendas. Est utilis : 1° ad scientias *speculativas*. Dat enim *a)* generaliorem veri notionem, quem aliæ scientiæ speculativæ alicui vero particulari applicant; *b)* methodum et leges cognitionis, ac proinde instrumentum et normam suppeditat quibus diversa genera cognitionum ad scientias particulares constituendas adducuntur. Ergo Philosophia, quæ dat notitiam veri, methodum et leges cujusque scientiæ, est utilis ad scientias speculativas ediscendas.

2° Non minus favet scientiis *practicis*. Scientiæ practicæ actionem humanam ad debitum finem dirigunt; sed directio hæc generaliorem ordinis et boni notionem sub baudit, necnon cognitionem naturæ entium quæ recte dirigi debent. Atqui hæc omnia præstat Philosophia. Ergo Philosophia est etiam necessaria ad scientias practicas percipiendas.

II. Philosophia est utilis : 1° *homini privatim spectato*, in quantum perficit ipsam humanam naturam. Philosophia enim perficit nobiliores hominis facultates, intellectum scilicet et voluntatem, ac finem assignat ultimum, qui est fons totius ordinis moralis. Atqui perfectio hominis *singularis* oritur ex perfectione facultatum nobiliorum, necnon ex recta ordinatione ad finem, præcipue ultimum. Ergo Philosophia est utilis homini, etiam privatim spectato.

2° Est *utilis statui sociali*. Etenim perfectio statùs socialis pendet ex genuina ordinis politici et naturæ socialis hominis notitia, sicut ex recto potestatis et obedien-

tiæ, libertatis et finis socialis conceptu. Atqui hæc omnia præstat Philosophia. Ergo etiam respectu ordinis socialis utilitate non caret.

III. Fidei et veræ religioni utiliter deservit : 1° *removendo obstacula* quæ fidei propagationem præpediunt. Vera Philosophia varia præbet principia et criteria quæ ordini religioso applicata, multa hæreticorum et incredulorum sophismata diluunt. Atqui hæc sophismata quemdam obicem constituunt fidei propagandæ. Ergo Philosophia iter sternit planum ad propagationem fidei et veræ religionis.

2° Philosophia quasdam prævias veritates demonstrat, quæ *fidei præambula* dicuntur : Fides et ratio « opem sibi mutuam ferunt, ait conc. Vatic. (1), cum recta ratio fidei fundamenta demonstret ». Ergo etiam ex hoc capite auxilio est veræ religioni.

3° Philosophia denique non modo dat theologo aptitudinem naturalem ad revelationem supernaturalem distinctius intelligendam et explicandam, sed etiam subministrat methodum, et universales suppeditat conceptus quibus excoli possit theologiæ dominium : ratio, « fidei lumine illustrata, rerum divinarum scientiam excolit », ut declarat conc. Vat. l. cit. Atqui hæc omnia sunt maximæ utilitatis ad fidem propagandam ac tuendam. Ergo Philosophia aliquo modo deservit fidei ac veræ religioni.

§ III. — De habitudine Philosophiæ ad alias scientias.

5. — Philosophia considerari potest : 1° in ordine ad scientias quæ versantur circa veritates ordinis naturalis ; 2° quoad illas scientias quarum objectum constituunt veritates ordinis supernaturalis seu supernaturaliter revelatæ.

THESIS I^a. *Philosophia est scientia distincta tum ab aliis scientiis quæ versantur circa veritates ordinis naturalis, tum a scientiis theologicis.*

Prima pars., contra Positivistas et Empiricos crassiores proponitur, asserentes Philosophiam esse merum corollarium physicæ, chymiæ, matheseos, etc.

(1) Const. de Fide cath. c. 4.

Prob. Eæ scientiæ revera sunt distinctæ quarum objectum et principia differunt; atqui tum objectum tum principia Philosophiæ et aliarum scientiarum naturalium differunt. Etenim 1°, ut modo dictum est, objectum Philosophiæ sunt altiores rerum omnium causæ, dum objectum scientiarum illarum sunt causæ proximæ quarumdam rerum particularium; 2° principia Philosophiæ propria præbet ratio superior, dum principia cæterarum scientiarum ordinis naturalis propria sumuntur ab experientia. Ergo.

2ª *Pars* impugnat tum Rationalistas, qui Theologiam ad Philosophiam reducunt, tum Traditionalistas, qui Philosophiam ad Theologiam revocant, tanquam ad fontem proprium.

Prob. iisdem rationibus quibus primam demonstravimus. Præterea hæc veritas declarata fuit a Concilio Vaticano : « Hoc quoque perpetuus Ecclesiæ catholicæ consensus tenuit ac tenet, duplicem esse ordinem cognitionis, non solum principio, sed objecto etiam distinctum : principio quidem, quia in altero naturali ratione, in altero fide divina cognoscimus; objecto autem, quia præter ea ad quæ naturalis ratio pertingere potest, credenda nobis proponuntur mysteria, quæ nisi revelata divinitus, innotescere non possunt » (1).

THESIS 2ª : *Quoad scientias ordinis naturalis, Philosophia est simpliciter sapientia, seu regina et dux.*

Probatur. Philosophia considerat altiora principia quæ aliis scientiis fundamentum præbent, judicat de earum natura, extensione, legitimitate, etc. Atqui scientia quæ aliis dat principia ex quibus exordium ducunt, judicat de eorumdem scientiarum natura, etc., dici debet sapientia et regina. Ergo Philosophia in ordine naturali est scientia princeps.

THESIS 3ª *Quoad scientias ordinis supernaturalis, Philosophia simpliciter subjacet, tum ratione objecti seu veritatum quas contuetur, tum ratione lucis in qua illud objectum considerat : illis tamen scientiis utiliter subservit.*

(1) Constit. de Fid. c. IV, de Fid. et rat.

1ª *Pars. Subjacet : Probatur.* Philosophia in veritates superiores ordinis naturalis incumbit, quas considerat in lumine rationis humanæ, dum Theologia veritates supernaturales persequitur, quas in lumine fidei et revelationis cognoscit. Atqui 1°, veritates supernaturales omnibus ordinis naturalis veritatibus nobiliores sunt; 2° ratio humana infinite distat ab intellectu divino, qui est fons et lumen veritatum revelatarum et suprema regula omnis veritatis. Ergo Philosophia sub hoc duplici respectu considerata dicenda est ancilla Theologiæ cujus pronuntiata sequi tenetur. Quapropter conc. Vatic. (1) declarat : « Si quis dixerit, disciplinas humanas ea cum libertate tractandas esse, ut earum assertiones, etsi doctrinæ revelatæ adversentur, tanquam veræ retineri..... possent, anathema sit. »

2ª *Pars. Utiliter subservit :* Etenim quoad syntheticam revelatarum veritatum dispositionem et aliqualem intelligentiam, seu quatenus supra catechesim et positivam singulorum dogmatum confirmationem, ad apparatum scientificum evehitur Theologia, id a Philosophia non minima ex parte mutuatur; itaque Philosophia est utilis ancilla Theologiæ.

6. — *Schol.* Ergo principia Philosophiæ sunt altissima respectu principiorum quæ dominium constituunt omnium scientiarum naturalium, dum e contra sunt ordinis inferioris respectu principiorum Theologiæ supernaturalis. Philosophia igitur est quædam disciplina intermedia, quæ respectu nobilitatis sui objecti spatiatur inter Theologiam supernaturalem et omnes scientias naturales.

§ IV. De Philosophiæ partitione (2).

7. — Divisio alicujus scientiæ petitur ab objecto circa quod versatur. Divisio enim enumerat varios aspectus sub quibus illud objectum sese exhibet cognoscenti. Porro objectum adæquatum Philosophiæ, ut constat ex definitione, consistit in rebus omnibus altiori quadam consideratione inspectis. Jamvero :

(1) Const. dogm. de Fide cath. IV, can. 2.

(2) Vid. S. Thomam, lect. I in 1 Ethicorum et in cap. II Matthæi.

1° Res ejusmodi possunt ab homine *simpliciter cognosci:* possumus enim unice dispicere quid est Deus, quid est homo, quid est mundus. Hinc exsurgit pars theoretica seu *Metaphysica*. Sed præterea,

2° Homo, ex perpensis relationibus quas habet ad alia entia, quærere potest quomodo se gerere debeat ut in actibus suis liberis servet ordinem debitum ad finem: hinc pars practica seu *Moralis*. Ordo practicus seu moralis expostulat ut res omnes ordinem dicant ad Deum, qui est finis ultimus et prima causa cujuslibet rei creatæ. Ergo quando homo quærit quid agendum sit ut adimpleatur ordo naturalis, in relationes rerum creatarum libertate præditarum ad Deum creatorem rimandas potissimum incumbit.

3° Verum ad hæc perscrutanda requiritur quædam regula certa : inde operam conferre oportet alicui parti veluti propædeuticæ, quæ rationi viam aperiat rectam et tutam ad hanc cognitionem. Etenim quælibet scientia specialibus utitur mediis ac regulis ad suum objectum indagandum. Atqui Philosophia, sicut aliæ scientiæ, sua propria habet loca, seu media quibus utitur ad rectam objecti determinationem. Pars hæc, quæ regulas rationis assignat seu media assequendæ veritatis determinat, est *Logica*.

Ergo Philosophia tres complectitur partes: 1° *Logicam*, quæ *instrumenta* ad objecti cognitionem necessaria suppeditat; 2° *Metaphysicam*, quæ *verum* respicit, seu objectum Philosophiæ spectatum in suis causis et in se considerat; 3° *Ethicam*, quæ *bonum* respicit,seu normam agendi præbet entibus intellectu et libertate præditis, ut servetur ordo naturalis rerum ad finem, præcipue ultimum (1).

8. — Exordiemur a Logica (2) et deinde gradum faciemus ad Metaphysicam, ut tandem deveniamus ad Ethicam, qua perficietur nostra tractatio.

Hujus distributionis ratio, quæ omnibus est obvia,

(1) Itaque Philosophia triplicem ordinem veritatum complectitur. Inde si divisionem hujus scientiæ repetere velis ab ipso *vero*, prout est objectum quod alia sub ratione reperitur in hac triplici parte, habemus pro objecto Logicæ verum *rationale*, pro objecto Metaphysicæ verum *reale*, pro objecto Ethicæ verum *morale*.

(2) Consul. D. Thom. lect. V in II Metaphysicorum cap. v.

petitur ab ipsa disciplinarum indole. 1° A simplicioribus ad altiora et magis composita, a principiis et fontibus ad conclusiones et effluvia progredi debet omnis scientia. Atqui simplicior et planior est Logica præ aliis disciplinis, et præterea aperit fontes veritatis assequendæ, præbet media verum cognitum demonstrandi; aliæ enim disciplinæ exquirunt acutissimum ingenium et accuratissimam analysim, ac proinde rectum certumque usum mediorum. Ergo Logica prævia est respectu Metaphysicæ et Ethicæ.

2° Metaphysica in ordine cognitionis est ante Moralem, cui subministrat principia. Metaphysica enim naturam rerum perpendit seu verum enucleat. Atqui Ethica nequit actiones recte dirigere, seu entia ad finem ordinare, quin cognoscat horum entium naturam et finem. Ergo Metaphysica prævia est respectu Ethicæ.

9. — Præterea hic ordo partium Philosophiæ confirmatur sequenti consideratione : Philosophia tria respicit : 1° ordinem conceptuum, 2° ordinem rerum, 3° ordinem entis concipientis et agentis ad res conceptas. Atqui homo, *a*), suos debet regere conceptus : hinc Logica. *b*) Ex recto usu conceptuum naturaliter pergit ad indagationem rerum : hinc Metaphysica. Et tandem *c*) perspectis rerum naturis et proprietatibus, ad mutuas entium relationes et praxes exinde obortas stabiliendas ducitur : hinc Ethica.

PRIMA PARS

PHILOSOPHIÆ

LOGICA (1)

10. — Logica, a græca voce λογος, idem dicit ac rationalis disciplina, seu disciplina qua ratio ducitur ad verum assequendum. Versatur ergo circa ordinem quo instrui debent operationes rationis ut hæc facultas recte et tuto devenire valeat ad suum finem, videlicet ad verum; itaque hic ordo adhibitus in operationibus rationis intuitu veritatis assequendæ est præsentis disciplinæ objectum : hinc, prout peculiarem aliquam constituit scientiam, definiri potest : *Scientia qua mens in exquirenda vel demonstranda veritate dirigitur.*

Dicitur *scientia* ut distinguatur a logica mere naturali : Ratio enim humana suapte natura verum prosequitur, quod proprium ejus constituit objectum. Porro ratio aliquam a natura respectu veritatis sortitur rectitudinem, quæ sibi relicta ad quasdam saltem veritates exquirendas et demonstrandas valet. Hæc rectitudo naturalis et innata, quæ omnimodam antevertit disciplinam, dicitur *Logica naturalis :* ratio, natura sponte agente, verum assequitur.

Illud verum, ad quod ordinat Logica innata, non est tantummodo verum immediate patens, sed etiam illud quod eruitur per deductionem ex alio vero immediate percepto, dummodo saltem deductiones non sint a longe petitæ.

(1) Vide expositiones D. Thomæ in Libros Perihermenias et in Libros Posteriorum analyticorum. Hæc opera optimam constituunt tractationem dialecticæ.

Verum Logica hæc non sufficit ad veritates magis remotas et abstrusiores detegendas; quoad hunc ordinem veritatum, ratio subsidium artis et disciplinæ exquirit. Quando hæc naturalis facultas verum cognoscendi, seu Logica innata, augetur et perficitur per reflexionem qua ejus viæ diligenter perpenduntur, fit *artificialis* seu *scientifica;* per reflexionem enim ratio sua propria scrutatur vestigia, necnon ad quasdam regulas redigit omnes motus mentis verum inquirentis. Itaque naturalis rectitudo mentis humanæ, dum analysi subjicitur, locum dat alicui *scientiæ* cujus finis proximus est quoddam verum, et cujus objectum proprium est ordo adhibitus in operationibus mentis intuitu veritatis assequendæ aut demonstrandæ.

De hac ultima agemus Logica, quæ ab innata differt sicuti perfectum ab imperfecto, distinctum a confuso. Verumtamen diversæ non sunt facultates, sed unica et eadem, quæ in duplici statu consideratur, nempe, 1° quatenus informis, et 2° quatenus informata seu aucta et explicata per disciplinam et artem.

11. — 1° Logica quæ per reflexionem gignitur, habet aliquo modo rationem *artis.* Ars, juxta definitionem sancti Thomæ (1), est ordinatio rationis *qua per determinata media ad debitum finem actus humani perveniunt.* Atqui logica ad normam rationis dirigit actus ejusdem rationis, ut hæc facultas verum aliquod certe assequatur, v. g. conclusionem alicujus syllogismi. Ergo est ars. Dici etiam potest *ars artium,* quia, dirigendo rationem, ipsam dirigit normam omnium artium.

2° Sed est proprie *scientia,* quia procedit *per demonstrationem,* non autem per nudam præceptorum traditionem (2).

12. — Logica artificialis dividitur in duplicem partem nempe in Logicam puram seu *formalem* aut *dialecticam* et in Logicam *materialem, criticam* seu *dogmaticam.*

1° Logica *pura* seu *formalis* tractat de illo ordine quo

(1) I Post. Sect. I.

(2) Animadvertendum est talem esse artis indolem ut inclinet ad faciendum aliquod singulare, seu opus particulare : itaque Logica quatenus, v. gr., respicit naturam syllogismi, ut sic, ejusque leges tradit et probat, dicitur *scientia.* Dicitur vero *ars,* quatenus inclinat et facilitat ad conficiendum syllogismum aliquem particularem, hunc vel illum.

instrui debent cenceptus inter se, ut recte disponantur; exquirit enim regulas quibus intelligi et ostendi possit quid legitime sequeretur ex aliquo principio posito. Hinc ejus objectum est *ordo* seu *ipsa relatio conceptuum inter se*, nulla prorsus habita ratione conformitatis idearum et objectorum. Dicitur Logica formalis, quia nihil aliud considerat nisi rectam dispositionem actuum rationis inter se; unde est formaliter rationalis disciplina.

2° Logica *critica* seu *materialis* aut *dogmatica* considerat, non mutuas conceptuum relationes, sed *ordinem* qui *inter conceptus et res conceptas* seu cognitas intercedit, et propterea *veritatem* ipsorum conceptuum quærit. Sedulo enim considerat utrum conceptus seu ideæ nostræ rebus cognitis, quas menti repræsentant, rite respondeant, nempe utrum conceptus nostri sint veri.

Ergo Logica artificialis merito dividitur : 1° in Logicam *puram*, formalem, seu proprie dictam, quæ versatur circa ordinem seu rectitudinem conceptuum, ac 2° in Logicam *applicatam*, materialem seu dogmaticam, quæ versatur circa ordinem conceptuum et rerum, ac proinde gradum facit ad Metaphysicam, quæ res in seipsis sumptas considerat. In Logica pura, agitur de veritate illationum seu de rectitudine conclusionum, ut sic; in Logica critica agitur de objectiva veritate omnium conceptuum.

PRIMA PARS LOGICÆ

13. — Logica formalis, quæ etiam Dialectica nuncupari solet (a verbo græco διαλέγομαι, dissero), est pars *disputativa* Logicæ. Hæc disciplina rationem dirigit usquedum hanc facultatem perducat ad plenam scientiæ adeptionem. Jamvero *scientia* pluribus coalescit ratiociniis inter se ita nexis ut aliquod totum cohærens conflent; *ratiocinium* constat judiciis, artificiose dispositis, et tandem *judicia* ex ideis seu *conceptibus* simpliciter efformantur. Ergo, ut Logica se ducem præbeat rationi humanæ in prosecutione veri, quatuor considerare et regere debet, scilicet, 1° *simplicem apprehensionem*, saltem prout est pars judicii, et sic primum suppeditat elementum ratiocinii, nempe conceptus ; 2° *judicium*, quod est aliud elementum magis complexum ratiocinii; 3° *ratiocinium* ipsum, et tandem, 4° *methodum*, qua

mens ope omnium mentis operationum verum, qua late patet, prosequitur.

Itaque his omnibus constat objectum materiale adæquatum logicæ formalis, licet ejus objectum proprium seu formale sit ipse ordo quem ratio ponit in suis operationibus, speciatim ratiocinium. Quapropter simplex apprehensio et judicium hic considerantur ut sunt elementa *divisionis, definitionis et ratiocinii*, vel illis inserviunt : nam *objective* spectata ad metaphysicam pertinent. Divisio, definitio et ratiocinium appellari solent a logicis *modi sciendi*, et ideo Logica sæpe dividitur in triplicem partem, juxta illos tres modos sciendi. Tamen, perspicuitatis causa, dialectica distribuitur a nobis in quatuor capita, quæ enucleanda assumimus, a simplicioribus ad magis composita progrediendo.

CAPUT I

DE SIMPLICI APPREHENSIONE.

14. — Per *simplicem apprehensionem*, intelligitur ea intellectus operatio qua aliquod objectum mere percipitur; v. gr. cognosco hominem, triangulum. Dicitur *simplex apprehensio*, quatenus per eam intellectus objectum apprehendit, quominus illi tribuat qualitatem, aut specialem determinationem.

Simplex apprehensio in proprio sensu dicitur de ipso actu mentis rem aliquam percipientis; unde motum ipsum intellectus denominat, cujus effectus est conceptus; ergo simplex apprehensio est conceptio; id vero quod fit per hanc conceptionem, est conceptus, seu idea, quæ per metonymiam appellatur etiam simplex apprehensio. Prima significatio a secunda distinguitur sicut actio a re effecta.

Hæc apprehensio simplex in prima significatione est conceptus ille qui vocari solet *formalis* :

Conceptus enim dividi solet in *formalem* et *objectivum*. Formalis est actus ipse quo intellectus rem aliquam concipit:

Objectivus autem ut ipsa res vel ratio hoc actu apprehensa et quatenus apprehenditur : Dicitur conceptus, quia est materia circa quam versatur formalis con-

ceptus, qui est veluti conceptio seu proles mentis (1). Uterque conceptus vocatur *intentio*, quia cognitio seu apprehensio intellectualis est « tendentia » quædam in objectum. Cognitio ipsa seu actus cognoscendi (conceptus formalis) est *intentio formalis*, dum res vel ratio cognita, seu conceptus objectivus, vocatur *intentio objectiva*.

15. — Sed homo potestate præditus est, non modo concipiendi intellectualiter varia objecta quæ illum circumstant, verum etiam facultate ornatur manifestandi proprios conceptus aliis hominibus. Hæc manifestatio fit per signa sensibilia, quæ conceptus mere spirituales et aliorum sensum effugientes patefaciunt. Quamobrem disputatio de simplici apprehensione duo complecti debet, nimirum, 1° ipsos conceptus, 2° signa quibus conceptus exterius manifestantur, quæque sunt veluti indumentum conceptuum : hinc præsens caput in duos articulos dispesci debet, qui versantur, primus, circa conceptus, secundus, circa signa conceptuum.

ARTICULUS I.

De conceptibus (2)

I. Quid est conceptus?

16. — Per conceptum objectivum, uti jam antea innuimus, intelligitur quædam intellectualis objectorum repræsentatio. Dum concipio, v. gr., hominem, Deum, etc., repræsentationem quamdam horum entium in me efformo; ejusmodi notio efformata fines mentis non egreditur, menti repræsentat objectum extrinsecus existens, et in hac existentia a mente independens. Hinc definiri potest conceptus : *similitudo objecti in mente existens*

Diversa adhiberi solent nomina hujus mentalis similitudinis objectorum. Dicitur *conceptus*, quia est veluti

(1) Cum definitio utriusque conceptus intimam habeat connexionem cum variis systematibus de natura idearum, fit ut non eadem sit omnibus ratio disputandi. Sed hic non expedit referre illas diversas definitiones, quæ potius obessent, quam prodessent claritati : genericam dedimus (Vide Metaphy. disp. II s. 1. n. 1).

(2) De hac materia disserit D. Thomas in I Analytic. lect. I, in *Metaphysic*. lect. IV.

partus mentis; dicitur *idea* a verbo græco εἴδω, video, quia est visio mentis; dicitur *intuitus*, propter eamdem rationem.

17. — At conceptus vel idea confundi non debet cum perceptione sensuum nec phantasmate imaginationis, quæ etiam suo modo objecta repræsentant. Alia enim est repræsentatio quæ in mente existit, alia similitudo quam efformant sensus interni vel externi; prior generali modo, seu sine qualitatibus individuantibus, dum posterior singulariter seu cum proprietatibus individualibus, v. gr., hoc colore, hac figura, etc., objecta repræsentat. Ex. gr., dum concipio hominem in genere, abstractione facta cujuslibet hominis singularis, seu hujus figuræ, structuræ, coloris, etc., notionem aliquam habeo omnibus prorsus hominibus applicabilem, ac proinde universalem : en conceptus proprie dictus. Dum efformo in me similitudinem quasi depictam alicujus hominis singularis, Petri et Pauli, seu hos homines in me repræsento cum his lineamentis, cum tali magnitudine, colore, vultu, etc., aliquam in imaginatione habeo formam huic homini tantum applicabilem, et non aliis. En phantasma proprie dictum, de quo hic non agitur.

18. — Conceptus, non autem phantasmata, sunt objectum scientiæ, quæ semper versatur circa universalia seu immutabilia; scientia enim in se spectata, et quatenus est scientia, immutabilis est; unde ejus objectum obnoxium esse nequit mutationi. Hinc conceptus, qui referunt et repræsentant id quod in rebus est immutabile, sunt objectum scientiæ. Exinde dimanat effatum scholæ : *Scientia non est de concretis, sed de abstractis.*

Heic non considerantur conceptus sub omni respectu, sed solummodo quatenus constituunt elementum ratiocinii. Generalis tractatus de simplici apprehensione ad psychologiam præcipue pertinet.

19. — Inter varia nomina conceptus, unum a nobis præ cæteris considerandum est, quia ad rem nostram maxime pertinet. Etenim conceptus seu idea, quatenus constituit elementum logicum, nuncupatur *terminus :* 1° quia est limes ultimus quem prætergredi nequit resolutio seu analysis discursus; 2° quia termini extremam partem judicii aut propositionis quodammodo tenent

et ideo considerari possunt tanquam confinia seu termini ipsius judicii; unde *terminant* propositionem.

II. Quotuplex sit conceptus?

20. — Conceptus dividi potest,

I. *Ex parte modi* quo objectum concipitur :

1° In *clarum* et *obscurum*. Clarus dicitur conceptus, quando suum objectum ab aliis rebus distinguit. Remanet obscurus, quando rem ita repræsentat, ut hæc repræsentatio non sufficiat ad hanc rem ab aliis secernendam. Qui cognosceret triangulum tanquam figuram tribus angulis constantem, illum secerneret ab aliis figuris geometriæ, et ideo aliquem haberet conceptum clarum. Qui triangulum simpliciter cognosceret tanquam aliquam geometriæ figuram, ideam haberet obscuram.

2° Dividitur in *distinctum* et *confusum*, prout notas objecti præcipuas distinguit et secernit, vel non. Distinctio ergo a claritate differt, in quantum distinctio respicit potius intrinseca rei constituentia, quam ejusdem rei diversitatem ab aliis; dum in claritate idearum, eatenus respiciuntur intrinseca rei constituentia, quatenus id requiritur ad rem ejusmodi ab aliis discriminandam.

3° Idea distincta est completa vel incompleta. Idea distincta dicitur *completa,* quando omnes notas distinctas objecti cogniti enumerat. Si omnes hujusmodi notas non enumeraret, *incompleta* remaneret.

4° Conceptus completus etiam dividitur in *adæquatum* et *inadæquatum*. Conceptus completus est *adæquatus* quando in ipso conspiciuntur, non tantummodo omnes notæ priores ét essentiales objecti cogniti, verum etiam notæ secundariæ et accidentales. Quando in hoc conceptu, mens omnia hæc non contuetur, conceptus remanet *inadæquatus.*

Tandem, 5° Conceptus a quibusdam dividitur in *comprehensivum* et *apprehensivum.*

Conceptus dicitur *comprehensivus*, quando rem repræsentat, quantum repræsentari potest, scilicet secundum totam ejus intelligibilitatem. Hinc objectum, non modo debet referre quoad omnes notas, etiam minu-

tissimas, quibus constat, verum etiam quoad omnes relationes quas habet vel habere potest cum omnibus aliis entibus. Brevius : hic conceptus rem *absolute* et *relative* spectatam exprimere debet.

Conceptus dicitur *apprehensivus*, qui rem quomodocumque repræsentat.

21. — Conceptus considerari potest : 1° quoad notas quibus constituitur, et 2° respectu individuorum quæ repræsentare valet.

Complexio notarum quibus idea constat, dicitur *comprehensio* hujus ideæ, dum amplitudo ideæ in pluribus vel paucioribus individuis repræsentandis, ideæ *extensio* seu ambitus vocatur. Ex. gr., notæ : *animalitas* et *rationalitas*, quæ efformant ideam hominis, hujus ideæ comprehensionem constituunt. Ordo ejusdem ideæ ad omnia individua humana, quibus repræsentandis par est, dicitur extensio.

22. — II. *Ex parte objecti*, conceptus dividitur :

1° In *realem* et *logicum*, prout repræsentat ens reale vel ens logicum, nempe objectum extramentem existens, aut saltem existendi capax, vel refert objectum quod nonnisi in mente existentiam habet et habere potest, ut genus, species, etc.

2° Conceptus objectivus seu intentio objectiva dividitur in primam et secundam. *Prima intentio* est ipsa res cognita secundum ea quæ illi conveniunt a parte rei; *secunda* intentio est res cognita secundum ea quæ illi conveniunt per intellectum, seu secundum statum quem recipit ab intellectu. Hæc divisio defluit ex conceptu formali in conceptum objectivum, scilicet ex ipsa formali cognitione, seu intentione, directa vel reflexa, in objectum illius cognitionis. Quia rem primo consideramus ut in se est, hic conceptus dicitur prima intentio seu consideratio. Deinde, post hanc primam intentionem, rem consideramus secundum statum quem habet ab intellectu, et hi conceptus dicuntur secunda intentio, id est, secunda consideratio, objectiva vel formalis. Sed dialectici, quando secundas nominant intentiones, loquuntur de secundis intentionibus objectivis.

3° Sub eodem respectu dividitur etiam in *positivum* et *negativum*, prout objectum constat aliqua realitate, vel e contra negatione realitatis, v. g., lux, tenebræ.

4° In *simplicem* et *compositum*, prout objectum constat una nota, vel pluribus, v. g., caro, homo.

5° In *concretum* et *abstractum*, in *communem* et *proprium*, sicut terminus, de quo infra.

ARTICULUS II.

De signis conceptuum

I. Signi notio.

23. — Conceptus, ut sic, in mente concipientis remanent, et alios homines latent, quandiu exterius aliquo signo sensibili non manifestantur. Per *signum* stricte sumptum intelligitur *quidquid cognitum, facultati cognoscitivæ aliquid a se aliud repræsentat* : sic, sigillum principis in mentem revocat auctoritatem hujus principis; statua vel pictura Cæsaris est signum quod Cæsarem repræsentat.

Signa in duplicem speciem partiri possunt, scilicet in *conventionalia* et *naturalia*. Signum dicitur conventionale seu ad placitum, si ex pacto tantum rem repræsentat, uti sigillum principis.

Dicitur *naturale*, quando ex natura sua objectum significat : v. gr., risus est signum lætitiæ, impressa vestigia sunt signa naturalia pedis imprimentis

24. — Id omne quod conceptus invisibiles sensibiliter exprimit et manifestat, dicitur signum idearum : hinc gestus, nutus, etc., in quantum manifestant internas animi modificationes, sunt signa. At completum et perfectum nostrarum *idearum* signum est loquela, quæ cum omnimoda perspicuitate, distinctione et brevitate omnes conceptus mentis manifestat. Prout illud perfectissimum signum simplices conceptus refert, dicitur *vocabulum*, quod etiam nuncupari potest *terminus oralis*.

Vocabulum autem definitur : *vox articulata ad significandum instituta*. Hinc est signum, non naturale, ut quidam volunt, sed conventionale. Et revera, licet voces articulatæ ex natura sua maxime sint *aptæ* ad significandum, non tamen actu significant hoc vel illud, nisi ex conventione, ut probat sequens

25. — Thesis I. *Vocabulum est signum conventionale, non naturale.*

Probatur. Signum naturale statim et pro omnibus ac uniformiter rem significatam in mentem revocat. V. gr., fumus ignem quibuscumque videntibus semper manifestat; marmor aut pictura statim et pro omnibus res repræsentatas exprimit. Atqui vocabula res expressas non demonstrant, nisi iis qui linguam, ad quam pertinent, cognoscunt; signa diversa sunt pro diversitate linguarum. Ergo non naturaliter, sed ex hominum convento, tales voces hæc et non alia objecta significant.

Hinc, licet facultas loquendi sit naturaliter homini indita, licet etiam intima fiat, ex assuetudine, connexio inter vocabula et ideas, tamen relatio hujus vel illius vocabuli ad talia objecta non est naturalis. « Significare conceptus suos, ut ait S. Thomas (1), est homini naturale; sed determinatio signorum est ad placitum ».

26. — Thesis II. *Vocabula immediate significant conceptus objectivos, et substituuntur pro conceptibus formalibus.*

Prob. 1ª *pars.* Significare non est aliud quam facere ut aliquid cognoscatur; porro voces per prius exprimunt conceptus internos et secundario res cognitas; voces enim præstant audienti, quod conceptus interni præstant loquenti. Atqui notificare conceptus, ut sunt similitudines rerum cognitarum, est significare conceptus objectivos. Ergo. (16)

Prob. 2ª *pars.* Egemus vocibus et illis utimur, quia conceptus per quos notificamus nobis res internas, non possunt per seipsos res illas aliis manifestare. Igitur voces sunt pro aliis idipsum quod pro nobis est conceptus, seu substituuntur pro conceptibus formalibus.

Nota. Termini hic considerantur sub respectu logico, videlicet quatenus sunt elementa judicii et ratiocinii, ingrediunturque propositionem et vim significandi habent.

(1) 2ª 2æ q. 85, art. I.

II. De divisione terminorum vocalium.

27. — In quantum singillatim inspiciuntur, dividi possunt termini vocales :

I. Secundum *vim significandi :*

1° Et præcipue in *univocos, æquivocos* et *analogos* (1). Terminus *univocus* dicitur, quando rationem aliquam significat in pluribus simpliciter eamdem; uti, v. gr., arbor, quæ dicitur de malo, de quercu, etc. Terminus dicitur *æquivocus*, qui significatione diversa de pluribus enunciatur; uti v. gr., canis prout diceretur de animali domestico et de sidere.

Æquivocatio inducitur sive casu, sive consilio. Æquivocatio dicitur *a casu*, quando idem nomen impositum est rebus diversis, cum inter ipsas nulla sit relatio quæ homines ad illud nomen adhibendum adducere queat, v. gr., gallus, homo, et gallus, animal. Dicitur *a consilio*, quando illud nomen diversis rebus attribuitur propter relationem aliquam inter res significatas; v. gr., *pes* animalis et pes montis. Hæc æquivocatio non differt ab analogia.

Inter meram univocationem, quæ idem nomen et eamdem entitatis rationem importat, et æquivocationem quæ idem nomen et rationem entitatis omnino diversam dicit, reperitur *analogia*, quæ habetur quando eadem voce plura diversa quidem, sed aliquatenus tamen similia, designantur. Terminus *analogus* significat quidem aliquid pluribus commune, sed tantum quoad similitudinem quamdam, uti, v. gr, cum pes dicitur de pede animalis, de pede montis et de pede columnæ : agitur de rebus quidem diversis, quæ tamen hanc inter se servant similitudinem, ut sint pars inferior et basis alicujus rei.

Analogia potest esse per *attributionem* vel per *proportionem*. Analogia *attributionis* habetur cum terminus aliquid principale significat, ad quod alia quemdam ordinem involvunt, et ex quo in hæc quædam derivatur

(1) Utrum detur analogia vere et proprie distincta ab univocatione et æquivocatione disputabant olim dialectici. Communis sententia cum S. Thoma affirmat distinctionem, quia ratio analoga est partim eadem et partim diversa, dum in univocis vel æquivocis est simpliciter eadem vel simpliciter diversa ratio per nomen analogum expressa.

attributio et denominatio, propter illam relationem; v. gr., *sanum* dicitur a sanitate, quæ proprie et vere est in animante; sed dicitur etiam de cibo, colore vultus, medicina, etc., eo quod respiciunt sanitatem animalis, quia illam aut juvant aut significant. Analogum *principale* est animal; analoga *secundaria* sunt cibus, etc.; habetur ergo ordo dependentiæ eorum ad principale, ita ut secundaria sint quodammodo aliquid illius principalis.

Analogia *proportionis* habetur quando idem terminus pluribus rebus tribuitur propter aliquam earum proportionem seu convenientiam quam illæ habent, aut respectu alicujus *effectus*, ut dum, v. gr., risus tribuitur homini, prato, fortunæ, quorum aspectus hilaritatem producit, — aut in *modo* quo ad extrema propria referuntur : v. gr., oculus animæ, oculus societatis, oculus corporis.

a) Analoga proportionis differunt ab analogis attributionis quia omnia in analogis attributionis dicunt ordinem ad unum principale analogum, dum in analogis proportionis ordo ille non reperitur, sed similitudo tantum secundum comparationem, quatenus unum est sicut aliud.

b) Univoca, æquivoca cum aliis quibusdám vocibus (denominativis, complexis, etc.) dicuntur *anteprædicamenta*, quia sunt voces conducentes ad notitiam prædicamentorum. *Denominativa* sunt illa quæ trahunt ab alio nomen, et a quo sola terminatione differant, ut justus est denominativum nomen a justitia, quæ vocatur forma denominans. Describuntur infra termini complexi et incomplexi.

2° Dividitur etiam terminus, juxta modum significandi spectatus, in *fixum* et *vagum*, prout eamdem semper retinet significationem, v. gr., *templum*, vel non constanter eamdem rem significat, sed modo unam, modo alteram, v. gr., *natura*.

3° Dividitur in *categorematicum* seu *significativum* et *syncategorematicum* seu *consignificativum*. Quando per se seu se solo aliquid significat, dicitur *categorematicus*, ut Deus, homo, et omnia substantiva substantive sumpta. Si per se non habet vim significandi aliquam rem, sed ad hoc expostulat consortium alterius termini, dicitur *syncategorematicus*, uti, v. gr., omnis, nullus,

aliquis, qui se solis non significant, sed egent conjunctione cum aliis : v. gr., omnis homo. Omnia nomina adjectiva sunt termini syncategorematici.

28. — II. Termini etiam dividuntur ratione *objecti :*

1° In *abstractos* et *concretos*. Terminus *concretus* ille est, qui significat subjectum cum forma sibi inhærente, v. gr., *albus*, *niger*. Terminus dicitur *abstractus*, quando ejusmodi formam significat sine subjecto cui insit, v. gr. nigrities, cæcitas, humanitas, etc. Hinc terminus concretus duplex habet significatum : *materiale*, id est subjectum præcisum a forma sua, et *formale*, id est subjectum cum sua forma.

2° Dividitur in *connotativum* et *absolutum*. *Connotativus* ille est qui notat terminum quocum perfecte significat, et sine quo non perfecte significat; unde aliquid significat ut adjacens alicui, v. gr. sapiens, niger. Dicitur connotativus, quia præter formam inhærentem quam significat, *notat* etiam subjectum. Unde terminus connotativus est semper concretus, non autem vice versa; est etiam semper adjectivus (1).

Dicitur *absolutus*, quando se solo est perfecte significativus, ac proinde aliquid ut non inhærens, sed ut per se stans significat, v. gr. homo, animal. Hinc omnia nomina substantiva substantive sumpta sunt absoluta.

3° Dividitur in *incomplexum* et *complexum*, prout unico vel pluribus constat vocabulis immediate conjunctis. In termino complexo unum vocabulum distincte exprimit subjectum, alterum formam. Illud dicitur terminus *principalis*, hoc, terminus *incidens*, sive explicativus, sive determinativus.

29. — III. Secundum *extensionem*, termini dividuntur,

1° In *proprios* et *communes*. Terminus *proprius* dicitur, sive ut opponitur analogo (27), sive ut opponitur communi. Terminus *proprius*, ultimo sensu sumptus, est qui individuum aliquod per notas individuales ipsique proprias directe conceptum significat, uti Alexander, Petrus. Dicitur *communis*, quando de pluribus per notas communes directe conceptis dici potest, secundum eamdem significationem; unde pertinet ad genus terminorum univocorum.

(1) Vide Hurtado, Univ. phil. disp. I s. x, 387;

Termini ergo communes, non secus ac ideæ, simul habent quamdam comprehensionem et quamdam extensionem : significant enim *immediate* notas communes quibus constat rerum natura, et *mediate* extenduntur ad individua in quibus reperiuntur illæ notæ communes. Jam vero relatio hæc termini communis ad res significatas dicitur *extensio* (21). Porro extensio hæc potest esse major vel minor.

a) Quando terminus communis dicitur de omnibus individuis quibus est applicabilis, nuncupatur *universalis*.

b) Si de quibusdam tantum indeterminatim dicitur, erit *particularis*.

c) Si de individuo aliquo singulari determinato diceretur, terminus ipse appellaretur *singularis*.

2° Terminus, iterum ratione extensionis, dividitur in *collectivum* et *distributivum*, prout de pluribus simul acceptis, vel seorsim sumptis dicitur; termini : *exercitus*, *populus*, qui plura *simul* accepta significant, sunt termini collectivi. Termini : *miles*, *tiro*, etc., sunt termini distributivi, quia plura seorsim sumpta repræsentant. Sed idem terminus, potest sumi distributive vel collective : v. g., (distrib.) omnis homo est mortalis; (collect.) omnes homines qui sunt in terris.

30. — Prout termini universales, particulares et communes dialectice considerantur, determinari debent per appositionem vel remotionem alicujus particulæ aut signi æquivalentis. Prout vox generalis assumitur sine particula restrictiva, aut extensiva, dicitur sensu specifico terminus communis, v. gr., homo, arbor. Prout vox generalis, ope alicujus particulæ aut signi æquivalentis, extenditur ad omnia individua quibus est applicabilis, dicitur terminus universalis, v. gr., omnis homo, omnis arbor. *Universale*, juxta vim vocis, idem sonat ac *unum versus alia*, ad proinde est aliquid unum habitudinem seu ordinem habens ad multitudinem, uti *arbor*, qui est conceptus applicabilis omnibus prorsus arboribus.

Prout vox, suapte natura generalis, sumitur juxta partem tantum suæ extensionis, per applicationem particulæ restrictivæ, dicitur terminus particularis : v. gr., aliquis *homo*, *quædam arbor*.

III. De variis terminorum proprietatibus seu affectionibus.

31. — Termini, non tantummodo considerari debent prout seorsim sumuntur, ac multiplici significatione fruuntur, sed etiam præ sensu illo *determinato* quem habent ex ipsa propositione in qua existunt; genuinus enim vocabulorum sensus contextu humani sermonis definitur et interpretatur. Porro termini, sub hoc respectu considerati, nonnullas sortiuntur proprietates. Istæ affectiones, omissis inutilibus et ab usu remotis, ad quatuor revocari solent a dialecticis, quæ sunt : suppositio, ampliatio, restrictio, et appellatio :

I. *Suppositio*, quæ generatim est positio unius rei loco alterius, prout terminis competit, est usus termini pro se vel pro suo significato. Est vel materialis, vel formalis.

1° Suppositio dicitur *materialis*, quando ponit terminum pro seipso seu pro ipsa materia vocali: v. gr., homo est vox quatuor constans litteris.

2° Suppositio dicitur *formalis*, quando terminum ponit loco sui significati, nempe signum grammaticale pro re significata : v. gr., homo est animal rationale ; philosophia est scientia ultimarum rationum.

Suppositio formalis dividitur in *realem* et *logicam*, quæ a veteribus simplex etiam dicitur.

a) Suppositio *realis* est, quando terminum ponit loco sui significati, secundum modum existendi quem illud habet extra mentem : v. gr., Socrates est homo. Est ergo tunc nomen primæ intentionis. Prout repræsentat individua, dicitur *personalis*, cum individua perfectiora sint personæ.

b) Suppositio *logica* seu simplex est positio seu usus termini pro re significata, sed secundum modum existendi quem habet in mente, ut in his propositionibus : Homo est species; arbor est idea generalis. Hinc est nomen secundæ intentionis.

Cum termini immediate ideas significent, et ideæ dividantur in universales, particulares, singulares, distributivas et collectivas, sequitur quod suppositio realis easdem divisiones subeat (1).

(1) Vide Hurtado fuse de suppositione disputantem. Opus cit. disp. II, Sect. I-V.

II. *Ampliatio*, generatim, est extensio termini a minori ad majorem significationem, v. gr. : Mansueti hæreditabunt terram. Sed solet strictius definiri: Acceptio termini pro tempore diverso ab eo quod significatur per verbum propositionis, v. gr. : Justus peccavit. In hac propositione, *vi formæ*, ageretur solummodo de tempore præterito; verumtamen terminum « justus » usurpamus pro tempore diverso ab eo quod significatur per verbum, seu pro præsenti quo est justus. Quando termini propositionis significant res incompatibiles pro tempore significato per verbum, tum ampliatione opus est. Ampliatio opponitur *statui*, qui est acceptio termini pro tempore eodem, quod significatur per verbum propositionis, v. gr. : Petrus peccavit. In hoc specifico sensu non differt a distractione, et ideo scholastici pro una eademque affectione terminorum sumunt ampliationem et *distractionem* (1); nonnulli recentiores illas proprietates distinguunt (2).

III. *Restrictio* est coarctatio termini principalis, ope termini incidentis, a majori significatione ad minorem, seu ad partem extensionis quam per se haberet, v. g. : Omnis doctus est dignus honore; terminus adjectivus « doctus » coarctat extensionem substantivi « omnis », quod ex se amplectitur etiam indoctos.

IV. *Appellatio*, a verbo *appello*, quod significat vocare seu nomen imponere, est applicatio significati formalis unius termini ad rem significatam per alium terminum, v. gr. : sapiens architectus : in qua propositione vox sapiens, quæ dicitur de ordinatione rerum, applicatur architecto. Terminus cujus significatio formalis applicatur, dicitur *appellans*, alter *appellatus*. Appellatio est quædam species suppositionis.

Appellatio dividi solet a dialecticis in *materialem* et *formalem*, prout prædicatum cadit supra formale subjecti, vel supra materiale : v. gr., medicus sanat, medicus cantat; sanat enim ut medicus : en *formale* subjecti; cantat autem, non ut medicus, sed ut homo, en *materiale* subjecti, seu subjectum materialiter sumptum. Formale ergo subjecti est ipsum subjectum prout

(1) Vide Pontium, Introd. ad Log. C. III, n. 14.

(2) Tongiorgi, Trac.. log. lib. I, C. 3 a 4

sub tali forma per terminum significatur; materiale vero est idem subjectum talem habens formam, non tamen spectatum specialiter sub hac forma.

CAPUT II

DE JUDICIO.

32. — Hactenus simplicem apprehensionem consideravimus, qua efformantur meri conceptus, nempe qua mens simpliciter apprehendit, quin affirmet vel neget(1). Nunc ad secundam mentis operationem aggredimur, seu ad judicium, quo ideas inter se comparamus, atque affirmatione aut negatione conjungimus.

Judicium in primis considerabimus generatim, quoad suam naturam simul et externam manifestationem. Postea ejus elementa rimando quæremus : 1° Quot sunt suprema genera seu classes eorum quæ prædicantur; 2° quot modis unum de aliquo possit prædicari, tanquam superius de inferiori? His perspectis, sponte ad judicii divisionem deveniemus, ac denique ad propositionum proprietates determinandas. Igitur quæstio erit in primo articulo de natura judicii et propositionis; in secundo, de prædicamentis; in tertio, de universalibus : in quarto, de variis divisionibus seu aspectibus quos induere possunt judicium et propositio, et tandem in quinto præcipuas propositionum proprietates recensebimus.

ARTICULUS I.

De natura judicii et propositionis.

§ I. De judicio.

33. — Cum mens duas ideas habet easque comparat, potest earum convenientiam aut discrepantiam percipere, et potest quoque neutrum percipere. Si neutrum perspicimus, nullus novus a mente ponitur actus, ac

(1) Hurtado impugnat sententiam Vasquesii, qui docuit primam operationem non apprehensioni nisi simplices terminos, minime vero integras propositiones; unde essentia judicii vel enunciationis differret a simplice apprehendere, quia affirmat vel negat *connexionem* idearum vel terminorum (disp. III, q. 1, s. 1, § 1).

proinde remanent simplices apprehensiones. Si contra mens perspicit et affirmat identitatem vel diversitatem idearum, fit a mente alius actus, præter simplicem idearum apprehensionem, et hic novus actus simplici apprehensioni additus, dicitur *judicium*.

Judicium ergo ea est animi operatio qua, duabus ideis inter se comparatis, mens eas aut affirmatione conjungit, aut negatione separat; seu, aliis verbis, est actus quo mens binas ideas aut affirmando *componit*, aut negando *dividit* : inde etiam appellatur *compositio*, *divisio*. Quare ad judicium efformandum requiritur :

1° Ut menti duæ obversentur ideæ, quatenus distinctæ,

2° ut earum fiat comparatio,

3° tandem ut affirmetur earum identitas vel diversitas : Actus enim judicii est distinctus a conceptu prædicati et subjecti.

Dum mens hanc *habitudinem* idearum seu connexionem affirmat aut negat, fit judicium, quod idcirco est affirmativum aut negativum. Hæc secunda mentis operatio ex una parte est aliquid per se unum, et ex altera præexigit duas simplices apprehensiones (1).

34. — THESIS : *Judicium est perfecta cognitio.*

Nota. Hæc thesis duo affirmat, nempe judicium esse 1° *cognitionem;* 2° *cognitionem perfectam.*

Prob. 1ª *pars.* Cognitio generatim est expressio alicujus rei in mente; atqui judicium est quædam hujusmodi expressio *nexus* duarum idearum. Ergo.

Hinc judicium est actus intellectus, non autem voluntatis, ut voluit Cartesius.

Prob. 2ª *pars.* Ad perfectam rei alicujus cognitionem non sufficit ut res illa repræsentetur in mente, sed requiritur præterea ut cum diversis suis affectionibus repræsentetur. Atqui per simplicem apprehensionem, res utique repræsentatur in mente, sed per judicium solum, repræsentatur cum diversis suis affectionibus,

(1) An actus ipse judicii sit necessario actus distinctus ab apprehensione *connexionis* idearum seu *copulæ*, vel consistat in hac apprehensione, vel tantum in apprehensione prædicati et subjecti, disputant scholastici : Has disputationes prætermittere expedit.

sicuti est in se : seu subjectum exhibetur sub qualitate expressa in attributo. Igitur fit apprehensio convenientiæ vel discrepantiæ simplicium conceptuum.

35. — Judicium, etsi per se sit actus simplex, tamen ratione materiæ est compositum. In judicio enim considerari debent materia et forma. *Materia* generatim sumpta est id quod adhibetur ad rem aliquam exstruendam. Dicitur *proxima*, quando immediate adhibetur, quin per novum statum transeat; materia dicitur *remota*, quando nonnisi per aliquem statum novum fit idonea ad formam recipiendam : v. gr., lapides, respectu domus, sunt materia remota; muri ex lapidibus ædificati sunt materia proxima.

In judicio, materia remota sunt ideæ; materia proxima est diversitas vel identitas idearum, et tandem *forma* est affirmatio aut negatio. Per actum illum, quo mens renuntiat hanc identitatem vel diversitatem, quam ideæ habent secundum rem significatam, inducitur forma in materiam. Exinde patet judicium *formaliter* sumptum esse actum simplicem quo conjungimus vel dividimus ideas.

Sed est compositum quoad materiam; nam materiam judicii constituunt hæc tria : duæ ideæ earumque habitudo.

36. — Forma stat sive in affirmatione, sive in negatione; unde judicium, præ forma spectatum, distribuitur in *negativum* et *affirmativum* (33, 3°).

§ II. De propositione.

37. — Sicut vocabulum est signum ideæ, ita propositio est externa judicii manifestatio; ac proinde definiri potest : *oratio quæ aliquid de aliquo affirmat aut negat.*

38. — Materiam propositionis constituunt termini orales, seu vocabula, quæ exprimunt materiam remotam judicii; forma propositionis est verbum substantivum *est*, quod in scholis *copula* nuncupari solet, quia subjectum cum prædicato conjungit seu copulat.

In propositione, id de quo aliquid affirmatur aut negatur, dicitur *subjectum*, quia subest alicui attributioni; id quod de subjecto affirmatur aut negatur, dicitur

prædicatum : subjecto enim tribuitur ; et in tantum subjectum reperitur in aliqua propositione, in quantum qualitate per prædicatum expressa afficitur. Generatim id quod cum alio conjungitur aut ab alio separatur, de illo *prædicari* dicitur. *Copula* nihil est aliud nisi affirmatio vel negatio quæ significat formam seu affectionem subjecti, seu, aliis verbis, id, quo mediante, aliquid affirmatur vel negatur. Verbum, ut aiunt veteres, significat hanc formam per *modum actionis*, seu in *fieri*, dum nomen significat hanc formam per *modum qualitatis :* v. g., hic homo *intelligit;* verbum indicat actionem intelligendi; substantivum *intelligens* indicat qualitatem.

Quare veteres(1), dum definiebant *verbum* ut distinctum a *nomine*, non autem sub ratione copulæ, sic describebant post Aristotelem : Vox significativa cum tempore, finita et recta, cujus nulla pars significat separata, et est semper eorum nota quæ de aliquo dicuntur. Nomen autem significat sine tempore. Ad hæc intelligenda, notandum est quod verbum dicitur vox significativa 1° *finita* seu cui nulla negatio præfigitur, 2° *recta* seu directe et non in obliquo significans, 3° *nota eorum quæ de aliquo*, quia semper aptum est verbum affirmare aliquid de aliquo vel negare, seu copulare prædicatum cum subjecto. At hic consideratur, non ut significans, sed ut copulans.

ARTICULUS II.

De prædicamentis.

39. — Judicare, ut constat ex dictis (33), est affirmare convenientiam vel discrepantiam subjecti et prædicati; aliis verbis, est referre subjectum quoddam ad aliquem ordinem entium. Hic ordo multiplex entium ad quem revocari potest subjectum, est ordo categoriarum; unde per *categorias*, a κατηγορέω (græce), seu *prædicamenta* (latine), late intelliguntur res quæ possunt prædicari; pressius, classes prædicatorum seu omnes rationes generaliores ad quas revocari potest aliquod subjectum. Quapropter disputationem de prædicamentis post quæstionem de judicio instituere non dubitamus, licet ordine

(1) Vide de Rhodes, Phil. perip. lib. I d. 3 q. I. § 3; etc.

inverso procedere soleant scholastici. Sed hic modus procedendi claritati consulere nobis visus est :

Nam, etsi prædicamenta revocari debeant ad simplicem apprehensionem seu primam mentis operationem, tamen plenior fit eorum expositio post descriptionem judicii.

40. — Notandum est in primis prædicamenta distingui a prædicato et a prædicabili :

1° *Prædicatum* est *id quod quolibet modo de altero enunciatur*, ut homo de Petro.

2° *Prædicabile* est *id quod potest affirmari de pluribus;* ut lapis de omnibus lapidibus.

3° *Prædicamenta* sunt entis divisiones quibus prædicata cujusque rei collocantur, seu ordo ac series prædicatorum aut prædicabilium sub aliquo summo genere; sunt ergo supremæ notiones, de quibus in logica tractatur : v. gr., prædicamentum *quantitatis* est suprema notio cujus omnes quantitates prædicatæ aut prædicabiles sunt diversi modi.

41. — In determinandos omnes illos aspectus attributi et subjecti in judiciis et propositionibus, incubuerunt Aristoteles et Kantius; hinc famosæ illæ categoriæ ad quas omnia judicia per sua *prædicata* revocari possunt. Primus, attentis tantum *diversis rerum respectibus*, decem, dum secundus, solam judiciorum *formam* (ut hæc ab ipso accipitur), considerans, duodecim enumeravit. Categorias Aristotelis tantum recensebimus, sive quia sunt magis vulgatæ, usuque theologorum scholasticorum probatæ, sive quia sunt rectissimæ.

Hujus divisionis ratio repetitur ex diversis interrogationibus quæ de aliquo subjecto singulari, v. gr., de Petro, fieri possunt. Tot sunt categoriæ quot sunt modi univoci prædicandi de prima substantia; porro de ipsa quæri potest : 1° quid sit; 2° quanta; 3° qualis; 4° cujus sit; 5° quid agat; 6° quid patiatur; 7° ubi sit; 8° quando sit; 9° quo in situ; 10° qualiter vestiatur. Hinc decem prædicamenta Aristotelica sunt : substantia, quantitas, qualitas, relatio, actio, passio, ubi, quando, situs et habitus, quæ in his versibus veteres comprehenderunt.

1° Arbor sex servos ardore refrigerat ustos,
Subst., *quant.*, *relatio*, *qualitas*, *actio*, *passio*

2° Ruri cras stabo; sed tunicatus ero
Ubi, *quando*, *situs*, *habitus*.

42. — Jam ex hoc exemplo adducimur ad singularum categoriarum definitionem (1).

1° *Substantia* est *ens per se stans*, quod scilicet alicui subjecto non inhæret; v. gr. arbor. Scholastici, post Aristotelem, substantias in duplicem classem distribuunt, scilicet in substantias primas et substantias secundas.

Primæ dicuntur omnes substantiæ individuales; v. g. Petrus, Paulus, hæc arbor. Per substantiam *secundam* intelligitur ea quæ in genere sumitur, et de primis prædicatur, ut homo in genere, arbor generatim sumpta, quæ prædicari possunt de omnibus hominibus et arboribus.

2° *Quantitas* est *positio partium extra partes* : v. g. sex. Quantitas est vel continua, vel discreta. Dicitur *continua*, quando constat partibus quæ non habent proprios limites : v. gr. baculus, linea; dicitur etiam quantitas *molis*. Quantitas dicitur *discreta*, cujus partes conjunctæ non sunt: v. gr., acervus decem lapidum; hæc etiam appellatur quantitas *multitudinis*. De hac re *fusius* in Methaphysica agemus.

3° *Relatio* est *respectus unius ad aliud*, ut in exemplo antea dato : servus, qui dicit ordinem ad dominum, seu aliud respicit.

4° *Qualitas*, qua res *quales* dicuntur, est *quidquid substantiæ adjicitur* ad quodcumque ejus complementum : v. gr., ardens, bonus, malus.

5° *Actio* est *mutatio quæ fit a causa activitatem suam exercente*; v. gr., refrigerare, percutere.

6° *Passio* est *mutatio quæ in aliquo subjecto recipitur*; v. gr., moveri, comburi.

7° *Ubi* est *determinatio ad locum*, v. gr. ruri esse, aut esse infra, supra.

8° *Quando* est *determinatio ad tempus*; esse præteritum, futurum.

9° *Situs* est *dispositio partium in loco*; uti sedere, cubare.

(1) Non sunt tot prædicabilia quot prædicamenta, quia, ut videbimus, numerus prædicabilium sumitur ex modis prædicandi de inferioribus, dum numerus categoriarum petitur ex modis prædicandi de prima substantia.

10° *Habitus* est *denominatio deprompta ex quolibet tegumento seu ornamento corporis vel rei :* v. gr. purpura indutus.

In metaphysica fuse ac plene agitur de categoriis, quæ hic considerantur tantum ut pertinent ad primam mentis operationem et sunt materia judicii aut enunciationis.

ARTICULUS III.

De transcendentalibus et prædicabilibus seu universalibus.

43. — In prædicamentis, consideravimus quot sint suprema genera ad quæ revocari queat quodlibet subjectum alicujus propositionis. Nunc quærendum est quotuplici modo aliquid de *alio* prædicari possit (40).

Vox *prædicare*, ut monuimus, idem valet ac enuntiare de aliquo.

44. — Animadvertendum est quasdam esse notiones quæ de pluribus, neutiquam vero de omnibus, affirmari possunt, et quasdam alias quæ de omnibus prorsus dicuntur.

Priores notiones nuncupantur *universales* seu *universalia*. Universale, juxta vim vocis, *est unum versus alia*, seu unitas *habens habitudinem* ad multa; uti, v. gr., conceptus *hominis*, qui de omnibus hominibus dici potest, licet sit unus in se.

Notiones secundi ordinis *transcendentales* appellantur. Istæ notiones transcendentales, propter *suam indeterminationem*, omnibus omnino rebus competere possunt, et sunt sex; ens, res, aliquid, unum, verum et bonum : de omnibus affirmari possunt, non tamen univoce (27, 1°): unde nonnisi improprie dicerentur universales.

Notiones non transcendentales, licet de omnibus prorsus rebus prædicari non possint, affirmantur tamen de omnibus in aliquo genere entium. Istæ notiones *univoce* competunt suis inferioribus, et proprie dicuntur, ad discrimen transcendentalium, *universales.*

45. — Dicitur etiam *universale* id quod repræsentant notiones universales; proinde in ordine reali, sicut in ordine logico seu prædicationis, concipi potest. Quando sumitur in ordine reali, dicitur universale *metaphysicum* aut *in essendo;* si consideratur in solo ordine logi-

co, dicitur universale *logicum* seu in *prædicando*. Hic agitur de solo universali logico.

Universalia numero quinque sunt : genus, species, differentia, proprium et accidens. Hic describuntur ut sunt prædicabilia, seu prout dicunt respectum ad inferiora.

1° *Genus*, quod est primum prædicabile, non ratione suæ perfectionis, sed ratione suæ universalitatis, describi solet : *id quod de pluribus speciebus affirmari potest, tanquam aliquid ipsis commune;* unde est pars, non determinans, sed determinabilis, essentiæ ; v. gr., notio *animalis* respectu hominis. Proprie et essentialiter definiri potest: *id quod est unum aptum inesse multis, tanquam pars determinabilis*. Prædicatur *in quid*, id est ad modum *per se stantis*, non autem per modum *adjacentis*, cum sit de rei essentia et nomen substantivum.

2° *Species* est hæc ratio quæ constituit essentiam communem plurium individuorum, seu est *unum aptum inesse multis numero differentibus, ut tota essentia, ac proinde, de illis affirmari tanquam exprimens totam rei essentiam;* v. gr. *hominis* ratio, quæ de omnibus individuis generis humani prædicatur, tanquam aliquid constitutivum totius essentiæ. Quando species consideratur ut « subjicibilis », id est secundum respectum ad genus, definitur : « id, de quo genus in quid et incomplete prædicatur ». Species dividitur in *subalternam* et *infimam* seu *specialissimam;* prima est simul species respectu generis superioris, et genus respectu inferiorum, altera est species tantum, seu sub se non habet nisi individua.

3° *Differentia* est *id per quod una species ab aliis speciebus discriminatur quæ sunt ejusdem generis.* Genus commune est pluribus speciebus; et idcirco per aliquam notam debet determinari seu dividi, ut exsurgat species: v. gr., notio generica *animalis* communis est homini et aliis animalibus; sed statim ac huic notioni adjicitur nota *rationalis,* notio generica determinatur, atque exsurgit notio speciei. Hinc notio *rationalis* differentiam exhibet inter speciem humanam et alias species animantium, et ideo dicitur *differentia.* Ostendunt scholastici quatuor esse differentia munera, scilicet « dividere genus, constituere speciem, distinguere illam ab omnibus aliis, prædicari de inferioribus ».

Genus est pars determinabilis totius essentiæ, dum differentia est pars determinans; genus et differentia sunt partes essentiæ seu speciei.

4° *Proprium* est *id quod pluribus competit, tanquam necessario dimanans ab eorum essentia*, ita ut, sicut dicit Goudin, *omni, soli ac semper accidat speciei*; v. gr., facultas loquendi, facultas ridendi sunt semper in omni et in solo individuo humano; sunt ergo *propria* hominis. Unde prædicatur de pluribus *in quale* necessario seu per modum adjacentis necessarii.

5° *Accidens* est *id quod pluribus ita competere potest ut possit esse vel abesse, salva eorum essentia;* v. gr. scientia in homine. Unde accidens verbale seu logicum est id quod de pluribus prædicatur in quale contingenter.

46. — Thesis : *Præter hæc quinque universalia, non dantur alia.*

Probatur. Quidquid est commune pluribus seu universale, pertinet ad suorum inferiorum essentiam vel non pertinet. Atqui :

1° Si non pertinet ad essentiam, saltem connectitur cum illa, vel non connectitur; est ergo *proprium* vel *accidens*.

2° Si pertinet ad essentiam, vel illam totam complectitur, et dicitur *species;* vel est pars essentiæ, et hæc pars etiam bifariam distingui potest : si est pars pluribus speciebus communis, est *genus ;* si non est communis, tunc est propria solius speciei, et dicitur *differentia*.

Ergo ex eo quod alia hypothesis efformari nequeat, quinque tantum sunt prædicabilia.

47. — Genus dividi potest, per accidens, in supremum, intermedium et proximum. Idem dici solet de specie et differentia.

Genus *supremum* illud est *quod sub alio superiori genere non continetur;* v. gr. notio substantiæ.

Genus *proximum* seu infimum illud est quod *infra se non habet genus*, sed *tantum species :* ut animal respectu hominis.

Genus *intermedium* illud est *quod inter supremum et infimum continetur;* ac proinde tam supra se quam infra se aliud genus habet; v. gr., vivens.

Genus et differentia, quæ ad speciem constituendam

concurrunt, sunt genus proximum et differentia proxima, quæ dicitur etiam ultima, specifica aut propria.

Extensio, comprehensio et abstractio.

48. — Ex dictis patet notionem genericam ad plura seextendere quam notionem specificam; siquidem dicitur de hac specie, cujus est pars, et de aliis speciebus : unde *prædicatur* de individuis hujus speciei, sicut de individuis aliarum specierum in quas ingreditur. Ergo major est ejus extensio. Constat præterea,

Genus superius majorem etiam habere extensionem ac genus subalternum; nam notio generis superioris continetur in notione generis inferioris; et idcirco prædicari potest de omnibus inferioribus generis subalterni, sicut de aliis pluribus : v. gr. *vivens* est genus superius respectu *animalis;* sed animal est aliquod vivens, ac proinde genus *vivens* dici potest de omnibus animantibus, et insuper de entibus pluribus quæ non sunt *animalia :* ergo majorem habet extensionem.

Et ratio ob quam ad plura aliquis conceptus se extendat, reperitur in paucitate relativa notarum quibus coalescit. Ex. gr. *Animal* præ *vivente* pluribus constat notis; nam est *vivens* (1^a nota) *sensu præditum* (2^a nota). Species respectu generis, numerosiores etiam habet notas : v. gr. *hominis* conceptus in ordine ad conceptum *animalis* spectatus complectitur notiones animalis (1^a nota) et *rationalis* (2^a nota). Ergo comprehensio in notione specifica est major quam in generica, et in genere subalterno quam in superiore; ac proinde : *Quo major est extensio, eo minor fit comprehensio, et vice versa.*

49. — Prout igitur a minus extensis ad magis extensa progredimur, removemus quasdam notas, quæ sunt in comprehensione minus extensi; eo fit generalior notio quo plures removentur notæ. Fit universalissima seu transcendens, quando, demptis aliis notis, unica et omnino simplex remanet notio : v. gr., si in hominis conceptu demitur nota *rationalis,* exsurgit notio extensior : *animal;* si in animali abscinditur nota *sensu præditum,* remanet notio *vivens,* quæ est magis extensa. Si in vivente fit præcisio notionis *vitæ,* remanet *substantia,* quæ

tandem per abstractionem alicujus notæ *stans per se*, dat locum notioni transcendentali : *ens*.

Hæc operatio seu hic processus mentis quo per præcisionem intellectus relinquuntur quædam notæ specialiores, dum aliæ magis generales seorsum considerantur, dicitur *præcisio mentalis* vel *abstractio* (abstrahere, nempe *trahere ab*).

ARTICULUS IV.

De divisione judiciorum et propositionum.

1. De divisionibus quæ Judiciis et Propositionibus simul competunt.

50. — In divisione judiciorum et propositionum considerari debent materia, sive proxima, sive remota, forma et extensio; unde quadrifariam dividuntur propositiones.

I. Ratione *materiæ proximæ*, propositio dividitur in *necessariam*, *impossibilem* et *contingentem;* prout, 1° prædicatum necessario refertur subjecto, seu per se inest subjecto ; v. gr., spiritus est immaterialis; vel 2° prout notio attributi omnino repugnat notioni subjecti : v. gr. circulus est quadratus; vel 3° prout prædicatum potest ab arbitrio aut pro circumstantiarum varietate subjecto tribui, vel ab ipso removeri.

51. — II. Ratione *materiæ remotæ* (*b*), seu terminorum, propositio dividi potest in simplicem seu *categoricam*, et in compositam.

1° Propositio dicitur *simplex*, quando *unico subjecto et attributo constat;* subjectum vel attributum pluribus terminis coalescere possunt, dummodo hi termini non colligentur ope alicujus particulæ.

2° Propositio dicitur *composita*, quando *plures terminos connectit ope alicujus particulæ*, conditionalis, copulativæ, disjunctivæ, etc., aut *pluribus coalescit propositionibus*.

Propositiones compositæ ad quadruplicem classem revocari possunt, nempe ad conditionalem, copulativam, disjunctivam et causalem.

(*b*) Opuscul. 48, D. Thom.

Si termini conjunguntur per particulam conditionalem, propositio erit *conditionalis* (1); v. gr., si homo haberet alas, volaret. Si termini connectuntur per particulam copulativam *et*, disjunctivam *vel*, causalem *propter*, propositio erit *copulativa*, *disjunctiva* vel *causalis*.

52. — III. Ratione *formæ* propositio dividitur in *affirmativam* et *negativam*, prout copula non afficitur particula negante *non*, vel afficitur.

1° In propositione affirmativa, prædicatum tribuitur subjecto secundum omnes et singulas notas quæ in ipsius prædicati comprehensionem ingrediuntur Illud prædicatum generatim est terminus *particularis*, quia in his propositionibus affirmamus subjectum esse unum ex iis quibus prædicatum convenit : v. gr. lapis est durus.

2° In propositionibus negativis, prædicatum a subjecto removetur juxta omnes notas suæ comprehensionis, sed non juxta singulas : unde comprehensio collective sumpta a subjecto removetur. In hac propositione : homo non est arbor, arbor juxta complexum notarum quibus constat, removetur ab homine; parum refert utrum in arbore sint quædam notiones quæ etiam in homine reperiantur, dummodo sit diversitas in summa notarum. In his propositionibus, prædicatum est universale, quia declarant subjectum esse rem diversam ab attributo, ideoque non esse in extensione, hujus prædicati inclusum : igitur attributum universim removetur a subjecto.

53. — IV, Ratione *extensionis* seu quantitatis propositio dividitur in universalem, particularem, indefinitam seu communem, et singularem.

Nota. Extensio alicujus propositionis determinatur ab extensione subjecti; nam forma propositionis, seu affirmatio, tantum se porrigit quantum patet subjectum. In hac propositione : homo est rationalis, prædicatum *rationalis* eatenus affirmatur quatenus subjecto applicatur, ac proinde juxta solam mensuram subjecti; dicitur de solo subjecto, itaque de iis tantummodo quæ in subjecti extensione includuntur. Tota igitur propositio ad

(1) Propositio *conjunctiva* quæ negat duas enunciationes posse simul esse veras, reponitur inter hypotheticas, dum propositio copulativa recensetur inter *categoricas*, quæ nempe aliquid de aliquo vere prædicant.

ea tantum se extendit quæ in extensione subjecti reperiuntur.

Hinc in prædicta divisione propositionum, debemus solam subjecti extensionem considerare.

54. — 1° Quando subjectum universaliter sumitur, nempe juxta totam suam extensionem, propositio dicitur *universalis* ; v. gr., *omnes* homines sunt justi.

2° Prout subjectum particulariter sumitur, scilicet juxta partem tantum suæ extensionis, propositio ipsa erit *particularis*; ut : *quidam* homines sunt justi.

3° Quando subjectum indefinite sumitur, nempe sine particula determinante, propositio ipsa dicitur *indefinita* : homo est justus.

4° Quando subjectum est aliquod nomen singulare, seu quoddam individuum denotat, propositio dicitur *singularis* : hic homo, scilicet Petrus, est justus.

55. — V. Præterea inter propositiones compositas, enumerari possunt propositiones modelas et exponibiles.

1° Propositio *modalis* (*a*) opponitur propositioni absolutæ. Propositio *absoluta* simpliciter *renuntiat unum de alio;* propositio *modalis* ea est quæ *declarat modum quo attributum convenit subjecto* : v. gr., Deus necessario est justus.

2° Propositio *exponibilis* ea est quæ *indiget explicatione* propter aliquam expressionem quæ reddit sensum obscurum. Propositio quæ *exponibilem explicat* dicitur *exponens*.

Propositio exponibilis dicitur vel *exclusiva*, vel *exceptiva*, vel *reduplicativa*, prout ei admiscetur particula exclusiva *tantum*, *duntaxat*, aut exceptiva *præter*, *extra*, aut tandem reduplicativa. *quatenus*, *prout*. Hæc ultima dicitur propositio reduplicativa, quia in ea fit quædam reduplicatio subjecti : v. gr., homo, in quantum homo, est ad imaginem Dei creatus.

56. — VI. Præter has divisiones propositionum, alia etiam posset desumi ex qualitate seu ex relatione signi ad rem significatam. Quando propositio consonat rebus expressis, seu congruit objecto, dicitur *vera* : v. gr.. hæc arbor est viridis, est propositio vera, si illa arbor

(*a*) D. Thom. Opuscul. 49.

reapse habet talem qualitatem. Si ab objecto dissonat, propositio hæc erit *falsa* : v. gr. si diceretur : hic homo est albus, dum est niger, propositio esset falsa. At qualitas propositionum magis directe consideratur in altera parte logicæ, in qua agitur de conformitate conceptuum cum objecto.

II. De divisionibus quæ judicio sunt propriæ.

57. — I. Judicia, quæ per propositiones exprimuntur, possunt partiri *ratione modi* quo efformantur, 1° in judicia a priori, et judicia a posteriori 2° in judicia mediata et immediata.

1° Quando ex sola idearum consideratione efformantur, nempe seposita qualibet experientia, dicuntur *a priori*. Hoc fit cum una idea percipitur tanquam inclusa in ratione alterius; tunc simul contuemur ideas earumque identitatem vel differentiam. v. gr. : Idea *totius* includit ideam *partis*, et idèas istas intueri non possumus, quin conspiciamus : *totum esse majus parte*.

Hæc judicia *a priori* dicuntur etiam *pura*, quia ab experientia non pendent, dicuntur *rationalia*, quia sola ratione efformantur; dicuntur *analytica*, quia ex analysi unius termini efflorescit alter terminus judicii; v. gr., in superius prolato judicio, ex analysi nòtionis totius emergit notio *partis*.

2° Judicia sunt a *posteriori*, quando facto ipso et experientia fundantur, v. g., ignis comburit; qua de causa *empirica* etiam dicuntur, seu *experimentalia* et *physica*. Præterea vocantur *synthetica*, quia una idea non est de ratione alterius, sed, suadente experientia, attributum subjecto copulatur.

58. — II. Judicia sive analytica, sive synthetica dicuntur *immediata*, quando identitas vel discrepantia idearum illico patet : *mediata*, quando relatio terminorum non detegitur nisi ope ratiocinii.

Istæ divisiones propriæ sunt solius judicii, dum aliæ quas recensuimus, communes sunt tum judicio, tum signo judicii seu propositioni.

59. — Judicia quædam scientiarum fontes primarios seu *principia* constituunt, et ideo dicuntur *axiomata*, a verbo αξιωμα (*dignitas*).

Ut judicium sit axioma requiritur : 1° ut sit per se seu immediate evidens; 2° ut universalitatem habeat.

Hinc omnia judicia analytica immediata sunt axiomata, nam, 1° evidentia immediata, atque 2° necessitate et universalitate semper fruuntur.

Sed judicia synthetica, etiam immediata, non sunt semper axiomata, quia sæpenumero carent universalitate, quam cæteroquin *singularia* induere nequeunt; siquidem circa individua objecta versantur : v. gr., ego cogito, patior, etc.

Judicia synthetica, quæ non sunt singularia, sed *particularia*, possunt aliquando ad universalitatem attolli, et sic axiomata evadunt : v. gr., hi lapides non suffulti deorsum ruunt. Quando experientia facta sufficit ut gravitas de omnibus prorsus lapidibus dici possit, habemus illud axioma : omnes lapides sunt graves, seu deorsum ruunt.

ARTICULUS V.

De propositionum proprietatibus.

60. — Hactenus propositiones consideravimus quoad sua intrinseca constituentia; verum una propositio in ordine ad aliam propositionem etiam inspici potest : tunc exsurgunt variæ enunciationum proprietates, quæ sunt oppositio, æquipollentia et conversio.

I. De oppositione.

61. — *Oppositio est repugnantia inter duas propositiones eodem subjecto et prædicato constantes.* Differre possunt propositiones tum quantitate, tum qualitate, tum utraque simul.

Quando sola *quantitate* differunt, vocantur *subalternæ.* Si *qualitate* solum discrepant, esse possunt duplicis generis, prout sunt vel universales vel particulares : duæ propositiones universales *qualitate* discordes, dicuntur *contrariæ ;* propositiones particulares ratione solius *qualitatis* dissimiles vocantur *subcontrariæ.* Tandem vocantur *contradictoriæ*, quando simul *quantitate et qualitate* differunt : si tamen subjectum esset singulare,

possent differe *sola qualitate.* Hinc quatuor exsurgunt oppositionis genera.

A. Omnis homo est justus. CONTRARIÆ, *E.* Nullus homo est justus.

SUBALTERNÆ. CONTRA- DICTORIÆ CONTRA- DICTORIÆ SUBALTERNÆ.

I. Aliquis homo est justus. SUBCONTRARIÆ. *O.* (1) Aliquis homo non est justus.

Ium *Principium.* Propositiones *subalternæ* A I — E O possunt esse *simul veræ et simul falsæ,* cum revera inter has nulla sit oppositio proprie dicta, imo una includatur in altera, scilicet particularis in universali : v. gr., omnis homo est justus; aliquis homo est justus. Hinc 1° si vera est universalis, vera erit particularis, quæ in ipsa continetur. Sed 2° falsa esse potest universalis, quin particularis sit falsa; nam ad alia se extendit affirmatio universalis, quæ non continentur in extensione particularis, ac proinde in hac tantum parte suæ extensionis potest peccare. Verum 3° si falsa esset particularis, necessario falsa esset universalis, quæ falsitatem particularis, quam continet, necessario in se recipit. 4° Si tandem vera est particularis, nihil sequitur quoad veritatem vel falsitatem universalis.

IIum *Principium.* Propositiones *contradictoriæ* A O — E I non possunt esse *simul veræ nec simul falsæ.* Nam idipsum quod affirmatur in una, negatur in altera. Porro aliquid non potest simul esse et non esse. Ergo ex veritate unius contradictoriæ, infertur falsitas alterius et vicissim. Ex. : omnes homines sunt rationales; quidam homines non sunt rationales.

IIIum *Principium.* Propositiones *contrariæ* A E, 1° *Possunt esse simul falsæ;* quia inter ipsas datur medium quod potest esse *exclusive* verum : v. gr., inter has

(1) Asserit A, negat E, verum generaliter ambo.
Asserit I, negat O, sed particulariter ambo.

propositiones : Omnis homo est justus, nullus homo est justus, reperitur sequens propositio *exclusive* vera : Quidam homines sunt justi. Hinc justitia non potest neque affirmari neque negari de omnibus. Itaque ex demonstrata falsitate unius contrariæ non concluditur ad veritatem alterius.

2° *Non Possunt esse simul veræ.* Etenim ex veritate unius contrariæ, quæ est universalis, sequitur veritas ejus subalternatæ, ut diximus (P. I). Atqui hæc subalternata est contradictoria alterius contrariæ. Ergo si duæ contrariæ essent simul veræ, sequeretur duas contradictorias esse simul veras, quod est contra secundum principium. Exemplum habetur in schemate supra posito.

IV^{um} *Principium.* Propositiones *subcontrariæ* I O, 1° *Possunt esse simul veræ.* Nam prædicatum in una propositione de iisdem inferioribus non dicitur ad quæ subjectum alterius propositionis se extendit; v. gr. quidam homines sunt justi. Non agitur de iisdem hominibus. Tamen in materia *necessaria* (50-1°), non possunt esse simul veræ aut falsæ; v. gr., aliquis angelus est spiritus; aliquis angelus non est spiritus; et ratio adducta non valet nisi in materia contingenti. 2° *Non possunt esse simul falsæ.* Etenim si essent simul falsæ, earum contradictoriæ essent veræ. Atqui contradictoriæ constituunt duas contrarias, quæ esse non possunt simul veræ (P. III, 2°).

Ergo duæ subcontrariæ non possunt esse simul falsæ.

II. de Æquipollentia.

62. — *Æquipollentia,* ut nomen indicat, est *eadem significatio duarum propositionum, quæ eodem subjecto et attributo constant,* sed differunt una aut altera negatione; v. gr., non omnis homo est justus; aliquis homo non est justus. Sicut quælibet propositio habet aliquam sibi oppositam, ita et æquipollentem, quæ in sensu logicorum fit ope particulæ negativæ *non.*

Principium. Particula negativa in propositione destruit id quod post se reperit, ac proinde mutat quantitatem et qualitatem, quando præfigitur. Hinc.

I^a *Regula.* Quando toti propositioni *præfigitur* ne-

gatio, seu ponitur ante subjectum, hæc propositio fit æquipollens suæ contradictoriæ.

Probatur. Propositiones contradictoriæ differunt quantitate et qualitate. Atqui negatio toti propositioni præfixa mutat quantitatem et qualitatem. Ergo hæc propositio sola appositione hujus negationis fit æquipollens suæ contradictoriæ : v. gr., propositio A per præfixam negationem fit : Non omnis homo est justus, seu æquipollens propositionis O, aliquis homo non est justus.

IIª *Regula.* Si *postponitur* subjecto, propositio hæc efficitur æquipollens suæ contrariæ aut subcontrariæ.

Probatur. Negatio post se solam qualitatem reperit, ac proinde fit mutatio solius qualitatis. Porro propositiones contrariæ differunt sola qualitate. Ergo. V. gr., : Propositio A, juxta hanc regulam, fit : Omnis homo non est justus, seu æquipollens propositionis E : nullus homo est justus.

IIIª *Regula. Si præponatur* simul et *postponatur* subjecto particula negativa, propositio fit æquipollens suæ subalternæ.

Probatur. Dum particula *non* præponitur toti propositioni, mutatur quantitas et qualitas; sed per postpositionem, quæ attingit solam qualitatem, fit nova mutatio hujus qualitatis, quæ proinde ad pristinum statum redintegratur. Ergo fit mutatio solius quantitatis, qualitate eadem remanente; hinc propositio hæc fit æquipollens suæ subalternæ quæ sola quantitate ab ipsa differt. V. gr., si propositioni A, præponatur e tpostponatur particula negativa, fit : non omnis homo non est justus, quæ propositio est æquipollens propositionis I : aliquis homo est justus.

III. De conversione.

63. — *Conversio* est *inversio propositionis*, ita ut subjectum fiat prædicatum, et prædicatum fiat subjectum, salva tamen propositionis veritate et qualitate, v. g. : *sapientia non est justitia; justitia non est sapientia.* In conversione incolumis remanet veritas, quando identitas vel diversitas terminorum servatur, quod contingit quotiescumque termini non augentur quoad extensionem nec mutantur quoad suppositionem.

Triplex est conversio : simplex, per accidens, et per contrapositionem, quæ tamen non est conversio proprie dicta.

1° Conversio *simplex* habetur, quando fit *mutatio terminorum, servata eadem quantitate propositionis*. Hinc non contigit nisi in propositionibus quarum subjectum et prædicatum habent eamdem extensionem, ac proinde *a*) in particulari affirmativa, ac *b*) in universali negativa.

2° Conversio dicitur *per accidens*, quando *variatur quantitas propositionis*, nempe quando ex universali fit particularis, et vicissim, saltem si ratione *materiæ* dari posset conversio propositionis particularis in universalem. Hinc locum habet in propositione universali affirmante. Universalis negans potest etiam isto modo non est converti; v. gr. : Nullum corpus cogitat. Aliquid cogitans corpus.

3° Conversio *per contrapositionem* habetur, quando *utrique termino transposito præfigitur particula* non, ita ut termini conversi ex finitis in infinitos mutentur. Hic modus convertendi a Dialecticis fuit excogitatus, quia solus propositioni particulari neganti potest aptari. Propositio enim hæc non potest converti : *a*) *simpliciter*, quia attributum est universale, dum subjectum est particulare, unde nulla conversio possibilis sine mutatione quantitatis. *b*) Non potest etiam converti *per accidens*, nam subjectum particulare transiens in attributum propositionis negantis fit semper universale; igitur eamdem non servaret quantitatem : Sit in exemplum ista sequens propositio : Aliquis homo non est medicus; hæc non potest sine absurditate converti simpliciter :

Aliquis medicus non est homo;

Neque per accidens : Omnis medicus non est homo. Convertitur ergo per contrapositionem, et sic, juxta formam dialecticam, habemus :

Aliquis non medicus non est non homo, seu more vulgari loquendi :

Aliquis, qui non est medicus, est homo.

CAPUT III.

DE RATIOCINIO (*a*).

64. — Circa tertiam mentis operationem, ad quam simplex apprehensio et judicium ordinem habent, quinque a nobis sunt consideranda : 1° natura ratiocinii, et spectatim syllogismi simplicis; 2° syllogismi simplicis leges; 3° variæ formæ quas induere potest *syllogismus simplex;* 4° diversa genera argumentationis generatim sumptæ, et tandem 5° fallaciæ quibus deturpari potest motus mentis discurrentis de judicio ad judicium. Hinc caput illud in quinque articulos distribuemus.

ARTICULUS I.

De natura ratiocinii, et speciatim syllogismi simplicis.

65. — Judicia, ut antea diximus, sunt duplicis generis, immediata vel mediata (58). Judicium dicitur : 1° immediatum, quando nexus terminorum quibus coalescit illico deprehenditur; 2° mediatum, quando idearum nexus non deprehenditur nisi per comparationem earum cum aliqua tertia idea. Operatio hæc qua ita deprehendimus nexum alicujus judicii mediati dicitur discursus aut ratiocinium, quod propterea definiri potest : *Ea mentis operatio per quam, instituta comparatione duarum idearum cum tertia, illarum inter se identitatem vel discrepantiam percipimus.*

Argumentatio se habet ad ratiocinium, sicut propositio ad judicium. Argumentatio enim seu discursus vocalis est signum seu expressio ipsius ratiocinii, ac proinde definiri potest : *Oratio qua propositio una ex aliis infertur.*

66.— In ratiocinio tria sunt consideranda: *ideæ* quibus constat, *judicia* quæ ex ideis efformantur, et tandem *nexus* judiciorum. 1° Ideæ constituunt materiam *remotam* ratiocinii, ideo quia in ratiocinium non ingrediuntur, nisi prius in judiciis efformatis coalescant. 2° Judicia ex ideis efformata constituunt materiam *proximam* ratiocinii, in quantum absque ulla dispositione ulteriore,

(*a*) Vide S. Thom., qq. dispp. *de Veritate*, qu. xx, de ratione superiori inferiori, et art. 1 (Quest. disp. Paris. ap. P. Lethielleux).

seu interna transformatione, sunt idonea ad formam ratiocinii recipiendam. Tandem 3° nexus judiciorum, nempe eorum dispositio apta ad concludendum, dicitur *forma*, quæ proinde nihil est aliud quam nexus qui inter judicia ex quibus infertur et judicium quod eruitur intercedit.

67. — Id ex quo aliud infertur, dicitur *antecedens;* id quod infertur, dicitur *consequens.* Consequens non debet confundi cum *consequentia* : hæc enim est recta deductio unius ex alio, ac proinde ipse discursus formaliter sumptus. Consequens vero est ipsum judicium quo affirmatur potest consequentia. Unde distingui consequentia in se seu objective, consequentia ut apprehensa et tandem affirmatio hujus apprehensionis : hæc ut proprie consequens, quod proinde erit judicium quod apprehensionem consequentiæ sequitur

Sed cum mens humana possit decipi in hac apprehensione seu in argumentando, ac proinde ferre judicium quod non exprimat veram consequentiam, ideo differre possunt consequentia et consequens subjectivum. Tamen ut suo loco dicetur, conclusio formalis est infallibilis, et ideo differre nequit a consequentia in se spectata seu proprie dicta.

68. — Ad ratiocinium semper requiritur duplex actus apprehensivus : 1° actus quo apprehenditur relatio, sive identitatis, sive discrepantiæ duarum idearum plus minusve dissitarum cum quadam idea, quæ adhibetur ut terminus comparationis. Primæ ideæ, eæ sunt quarum nexus ignoratur; terminus comparationis est tertia quædam idea adhibita ad manifestandum hunc nexum ignotum, vi principii identitatis : *quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se.* 2° Alter actus apprehensivus qui requiritur, ille est quo apprehendimus identitatem vel discrepantiam idearum dissitarum vi comparationis earumdem cum tertia idea.

Hæc relatio identitatis vel discrepantiæ est id quod stricte constituit consequentiam, et istius perceptio, ut affirmata, est ipsa formalis actio ratiocinandi.

Sola igitur conclusio formalis sive judicium illativum est tota essentia discursus; præmissæ autem nonnisi connatative et in obliquo sunt essentiales ratiocinio. Per solam enim conclusionem formalem discursus differt a

prima et secunda mentis operatione, cum præmissæ et conclusio ipsa materialiter sumpta sint tantum enonciationes (1).

69. — Ratiocinium simplex et completum est *syllogismus* simplex, qui unam completam exprimit ratiocinationem. Syllogismus est *ratiocinium tribus constans propositionibus ita inter se connexis, ut duabus positis, tertia necessario sequatur.* Est ergo *species simplicior et perfectior* ratiocinii, quia simpliciter et immediate confert duas ideas ad terminum comparationis, et statim refert nexum sic detectum.

1° Hæ duæ ideæ quæ comparantur dicuntur *extrema*, dum terminus comparationis dicitur *medius* terminus.

2° Duo prima judicia, quibus comparantur extrema cum medio termino, dicuntur *præmissæ*, et constituunt antecedens syllogismi, dum judicium quo exprimitur hæc relatio per præmissas detecta, dicitur *conclusio*, *illatio*, aut *consequens*.

3° In conclusione exprimitur relatio extremorum; unde conclusio constat extremis, qui constituunt subjectum et attributum illationis. Majus extremum est attributum conclusionis, quia est terminus magis extensus; attributum enim alicujus propositionis majorem habet extensionem ac subjectum; nam, ut constat ex dictis (52, 2°), attributum semper omnibus subjecti inferioribus se extendit, ac generatim aliis pluribus. Minus extremum fit subjectum conclusionis, propter consimilem rationem.

4° Præmissa in qua majus extremum cum medio comparatur, dicitur *propositio major*, quia ordinarie priori loco ponitur, aut simpliciter *major;* dum præmissa in qua minus extremum confertur cum medio, dicitur *propositio minor.*

(1) Notandum est quod conclusio sumi potest duobus modis : *materialiter*, prout dicit solum connexionem prædicati et subjecti; *formaliter*, prout dicit connexionem prædicati et subjecti propter connexionem utriusque cum aliquo tertio. Eodem modo aliqui distinguunt consequentiam materialem et consequentiam formalem.

ARTICULUS II.

De legibus syllogismi simplicis.

70. — Dialectici, dum leges syllogismi rimantur, considerant simpliciter connexionem materiæ proximæ et materiæ remotæ, seu quærunt utrum hæc elementa sint apta ad dandam conclusionem, nempe ad recipiendam formam ratiocinii.

Veritas aut falsitas propositionum non præcise consideratur in dialectica, quæ haud quærit utrum propositiones consonent rebus expressis necne; sed pensitat tantummodo an servetur identitas terminorum, dum ex una propositione in aliam hi transferuntur. Igitur regulæ syllogismi simpliciter versantur circa hanc veluti materialem seu mechanicam concatenationem terminorum et propositionum, quæ dicitur forma syllogismi.

71. — Tota hæc syllogismi legislatio ad octo regulas revocari solet; istæ regulæ, quas excogitavit Aristoteles, sufficiunt ad præcavenda omnia sophismata. Verumtamen auctores, alii plures, alii pauciores enumerant regulas. Sic in logica Portus-Regalis (Port-Royal) sex enumerantur leges, quæ etiam ad duas tantum reducuntur; Bossuetius eumdem numerum regularum tradidit; tandem Goudin, simul cum Euler, has leges ad quatuor coarctavit.

Sed hæc discrepantia unice provenit ex eo quod considerant hanc rem alii modo generaliori, alii modo specialiori; quoad rei substantiam, nulla prorsus diversitas. Reapse unica fere est regula, quæ cæteras omnes includit : *Major conclusionem implicite contineat, et minor declaret hanc conclusionem contineri in majore.* Hæc regula ex ipsa ratiocinii natura deducitur. Etenim propositio major affirmat relationem identitatis, vel diversitatis inter majus extremum et medium terminum; unde implicite continet conclusionem, dummodo medius sit identicus cum minore extremo, seu melius ipsum includat. Hæc autem identitas affirmatur in minore, quæ proinde declarat conclusionem contineri in majore. Major ergo considerari potest tanquam continens, et minor ut applicans. At regula hæc, utpote nimis generalis, non

sufficit ut omnia facile deprehendantur vitia quæ in syllogismis obrepere possunt, et ideo octo regulæ apte tradi solent.

72. — Omnes istæ regulæ principio identitatis et principio contradictionis nituntur, aut potius sunt particulares applicationes horum principiorum. Principia hæc in scholis modo sequenti enuntiari solent: Principium identitatis : *Quæ sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se.* Principium repugnantiæ : *Duo quorum unum convenit cum tertio, alterum vero non convenit, non conveniunt inter se.*

Hisce axiomatibus potest adjici sequens principium : *Duo quorum neutrum convenit cum tertio assumpto, inter se convenire vel non convenire possunt.*

1° Primum effatum, quatenus speciatim ad dialecticam spectat, modo sequenti proponi potest : Quidquid affirmatur de notione superiore distributive sumpta, debet etiam affirmari de singulis ejus inferioribus; aliis verbis, quidquid de omnibus seu de aliquo genere dicitur, etiam dicendum est de quibusdam et de singulis, seu de subjectis speciebus et individuis : v. g. Quidquid dicitur de animali, dicitur de homine, leone, aquila, etc., de Petro, Paulo, etc.

Illud effatum in scholis appellatur *dictum de omni.*

2° Secundum axioma solet etiam clariori modo sic proponi : quidquid negatur de notione superiore distributive sumpta, nequit non negari de singulis ejus inferioribus. V. g. : Si aliquid de homine negaretur, negari deberet de Petro, Paulo, et aliis hominibus. Illud principium syllogismi negantis *dictum de nullo* in scholis appellatur.

3° Quoad tertium principium, manifestum est duos terminos inter se habere posse aliquam relationem quominus cum termino extraneo conveniant : v. g. ex eo quod corpus non est spiritus, et lapis non est spiritus, non possum inferre lapidem non esse corpus. Ita propter eamdem repugnantiam duorum terminorum cum tertio, non possum inferre eos inter se convenire. V. g. Homo non est arbor; leo non est arbor; ergo homo est leo.

73. — Octo regulæ syllogismi, quibus applicantur hæc axiomata materiæ tum remotæ, tum proximæ syllogis-

mi, sunt sequentes, quarum quatuor priores ad terminos spectant, quatuor posteriores ad materiam proximam syllogismi, seu ad propositiones :

1. Terminus esto triplex, medius majorque, minorque.
2. Latius hos, quam præmissæ, conclusio non vult.
3. Nequaquam medium capiat conclusio oportet.
4. Aut semel, aut iterum medius generaliter esto.
5. Utraque si præmissa neget, nihil inde sequetur.
6. Ambæ affirmantes nequeunt generare negantem
7. Pejorem sequitur semper conclusio partem.
8. Nil sequitur geminis ex particularibus unquam.

I[a] *Regula* vetat ne in syllogismo plures sint quam tres termini. Nam syllogismus in eo consistit, quod *duarum idearum* convenientia vel repugnantia probetur ex earumdem consensione vel pugna cum *tertia;* atqui ad hoc tres termini, 1° *requiruntur*, secus non esset comparatio extremorum, et 2° *sufficiunt*, aliter ipsa extrema comparata in conclusione non unirentur v. g. : Deus est omnipotens; atqui homo est doctus; ergo... nulla conclusio.

Sed cavendum est ne aliquis terminus specie unus, reapse sit multiplex, propter diversas significationes vel suppositiones v. g. : Leo est animal ferox; atqui leo est vox duarum syllabarum; ergo vox duarum syllabarum est animal ferox.

II[a] *Regula* prohibet ne termini in conclusione habeant majorem extensionem quam in præmissis habuerunt. Terminus, juxta diversam extensionem sumptus, reapse est multiplex, seu diversa significat, et propterea in conclusione id assereretur quod non fuit probatum in præmissis; comparatio enim facta fuit cum parte extensionis, dum in conclusione affirmatur altera pars quæ non fuit comparata v. g. : Omnis latro est homo; atqui omnis latro pœnas meretur; ergo omnis homo pœnas meretur.

III[a] *Regula* per se patet, nam si medius terminus exprimeretur in conclusione, conclusio hæc non concluderet, sed compararet.

IV[a] *Regula* præcipit ut medius terminus in præmissis, semel saltem universaliter distributive sumatur, nempe pro ea omni re pro qua accipi potest. Ratio regulæ hæc est : Terminus ille bis particulariter sumptus esset æqui-

valenter duplex, seu res diversas significare posset, ac proinde comparatio non fieret cum uno eodemque termino. Hoc modo peccat sequens syllogismus :

Aliquis homo cantat
Atqui *aliquis homo* mortuus est;
Ergo aliquis mortuus cantat.

V^{a} *Regula* est evidens et nititur tertio principio generali superius relato (72). Sed sæpe contingit quod propositio specie negans, reapse sit affirmans : v. g. Qui non studet, non erit doctus : atqui Petrus non studet : Ergo... Propositio minor reapse est affirmans.

VI^{a} *Regula* est etiam plane evidens, et innititur principio : Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se.

VII^{a} *Regula* significat conclusionem participem esse omnium defectuum præmissarum. Pars pejor vocatur a Logicis negatio respectu affirmationis, et particularitas respectu universalitatis. Duo itaque considerantur in hac regula, qualitas et quantitas propositionum.

1° *Quoad qualitatem*, si una præmissa negat, conclusio erit negans; nam propositio negans declarat unum extremum cum medio non convenire, dum altera præmissa affirmans declarat alterum extremum cum medio convenire; ergo, juxta principium repugnantiæ, extrema inter se non conveniunt, seu conclusio est negans.

2° *Quoad quantitatem* conclusionis, in data hypothesi, tres casus fingi possunt: aut propositiones sunt ambæ affirmantes, aut alterutra est negans, aut utraque tandem est negans. Hic ultimus casus exploditur per V^{am} regulam; hinc duæ hypotheses sunt considerandæ.

a) — *Utraque affirmans*. Tunc unum tantummodo continent terminum universalem, subjectum scilicet propositionis universalis (duo attributa sunt particularia, quia pertinent ad propositiones *affirmantes;* alterum subjectum est particulare, nam, juxta hypothesim, una propositio est particularis). Atqui ille unicus terminus universalis pro *medio* assumi debet, juxta regulam IV^{am}. Ergo duo extrema sunt particularia, ac proinde subjectum conclusionis, quod dat quantitatem propositionis, est particulare.

b) — *Alterutra negans*. Duo sunt termini universales : subjectum propositionis universalis et attributum propositionis negantis. Atqui unus ut medius terminus poni-

tur, juxta regulam IV^{am}, et alter pro attributo conclusionis *negantis* assumi debet, juxta primam partem præsentis regulæ. Ergo subjectum conclusionis nonnisi termino particulari constare debet, ac proinde conclusio non potest esse nisi particularis.

VIII^{a} *Regula* docet nihil legitime concludi posse ex duabus præmissis particularibus. Etenim 1° si ambæ sunt affirmantes, nullus existit terminus universalis, ac proinde, non datur medius universaliter sumptus, juxta regulam IV^{am}.

2° Si ambæ negantes, nil inde, juxta regulam IV^{am}.

3° Si una affirmat et altera negat, unicus datur terminus universalis, nempe attributum propositionis negantis ; atqui ille terminus universalis simul assumi deberet pro medio (reg. IV.), et pro attributo conclusionis negantis (reg. VII.). Ergo nullus confici potest syllogismus cum duabus particularibus.

ARTICULUS III.

De variis figuris et modis syllogismorum (*a*).

74. — Scholastici multum sunt in exponendis præceptis quibus ars syllogistica quasi mathematice describitur. Tractatio de hac arte a Galluppio recte *algebra ratiocinii* appellatur.

Nos de figuris et modis breviter quidem, sed quantum satis ad recte argumentandum, tractabimus.

Recolendum est ex antea enucleatis formam syllogismi esse artificiosam dispositionem materiæ quoad inferendum. Porro forma hæc potest considerari :

1° Quoad materiam remotam, seu quoad solos terminos, et tunc dicitur *figura* syllogismi.

2° Potest spectari quoad materiam proximam, seu quoad propositiones, et tunc appellatur *modus* syllogismi.

75. — *De figuris.* Figura syllogismi est dispositio medii termini cum extremis apta ad concludendum. Porro medius terminus potest cum extremis, juxta Aristotelem, tribus tantum modis, juxta Galenum, quatuor

(*a*) **Inter opusc. D. Thom. 47 et 48, cap. 4.**

disponi, et ideo tres vel quatuor haberi possunt figuræ syllogismi.

Prima figura habetur quando medius terminus est subjectum majoris et attributum minoris v. g. : Omnes *homines* sunt rationales; atqui Petrus est *homo;* ergo Petrus est rationalis.

In secunda figura, medius terminus est prædicatum in utraque præmissa, uti in hoc syllogismo : Corpus non est *simplex;* atqui animus est *simplex;* ergo animus non est corpus.

In tertia figura, medius terminus est subjectum tum in minori, tum in majori. V. g.: Omnes *peccatores* sunt miseri; atqui quidam *peccatores* sunt divites; ergo quidam divites sunt miseri.

Tandem in quarta figura, medius terminus est prædicatum majoris et subjectum minoris : Omnes homines sunt *rationales;* atqui omne ens *rationale* potest cognoscere verum; ergo aliquod ens quod potest cognoscere verum, est homo. Hanc quartam figuram rejiciunt sat communiter scholastici (1) propterea quod nihil aliud esset quam violenta quædam præmissarum et terminorum transpositio. Quapropter rejecta quarta figura, in prima duplicem agnoscunt modum, directum scilicet et indirectum : modus *directus* ille est in quo extrema eamdem sedem occupant in conclusione, quam in præmissis habebant. Modus dicitur *indirectus*, quando diversam sedem habent in conclusione, ac occupabant in præmissis (2).

76. — *De modis.* Modus syllogisticus est dispositio trium propositionum, aut juxta alium modum computandi, præmissarum, secundum quantitatem et qualitatem apta ad concludendum. Propositiones secundum universalitatem et particularitatem, negationem et affirmationem spectatæ, indicari solent per litteras A, E, I, O, juxta versiculos sequentes (63) :

(1) Olim disputabant logici an sint admittendæ tres vel quatuor figuræ. Sed hæc disputatio non est tam magni momenti ut illam referre expediat, cum rationibus utrinque allatis. Vid. Sanseverin. Philos. Christ. Logicæ pars I. v. 2. p. DCCCXIV-DCCCXX; præsertim Pontium, Log. disp. 20, q. 5, qui fuse probat non dari quartam figuram, necnon Alamannum in Summa Philosophica, Parisiis.

(2) Est communis sententia contra « medicos, » ait Pontius.

Asserit A, negat E, verum generaliter ambæ.
Asserit I, negat O, sed particulariter ambæ.

Tot ergo erunt syllogismi modi possibiles, quot combinationes ex quatuor elementis ter sumptis oriri possunt. Porro algebra demonstrat ejusmodi ternarias combinationes ex quatuor elementis, esse quatuor et sexaginta; ergo sunt quatuor et sexaginta modi possibiles syllogismi.

Sed quidam ex recensitis modis opponuntur regulis syllogismi, ac proinde non concludunt, vel sunt inutiles. Modi concludentes sunt tantummodo novemdecim, ex quibus quatuor pertinent ad primam figuram; secunda figura quatuor pariter modos admittit; tertia sex, et quarta quinque.

Omnes modi concludentes in versiculis sequentibus recensentur : in quibus præterea ingeniose declaratur ratio convertendi modos ultimarum figurarum ad modos primæ figuræ.

I. fig. Barbara, Celarent, Darii, Ferio (mod. ind.)
Baralipton, Celantes, Dabitis, Fapesmo,
Frisesomorum.
II. fig. Cesare, Camestres, Festino, Baroco (III fig.)
Darapti. Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo,
Ferison.

IV° Figura Galenica, ut a 1ª distinguitur, quinque etiam modos continet, sicut mod. ind. :

Bamalipton. Dimatis, Fesapo, Camentes, Fresisomorum (1).

(1) Qui admittunt fig. 4am, mutant ordinem præmissarum primæ figuræ, et habent enunciationem prius expressam ut *majorem*, seu continentem *majus extremum*, nempe attributum conclusionis, et alteram enunciationem, ut *minus extremum*, id est subjectum conclusionis, continentem. Qui autem hanc figuram rejiciunt, et modos indirectos admittunt, invertunt tantum ordinem terminorum conclusionis modi directi : unde in modis indirectis prædicatum conclusionis est subjectum minoris, seu assumptionis, dum in modis directis, est etiam prædicatum majoris seu propositionis, v. g. *Modus dir.* primæ figuræ (*Barbara*). *Omne animal* est sensibile; omnis homo est *animal*; ergo omnis homo est sensibilis. *Modus indirectus* (*Baralipton*); Omne animal est sensibile; omnis homo est animal; ergo aliquod sensibile est homo.
Secundum figuram Galenicam, haberemus : Omnis homo est *animal*; omne *animal* est sensibile; ergo aliquod sensibile est homo (*Bamalipton*).

Ut vis et significatio horum vocabulorum intelligatur, notandum est :

1° Litteras vocales a, e, i, o, indicare propositionum diversitatem respectu quantitatis et qualitatis, ut jam superius diximus. Singuli modi constant ternis vocalibus; unde quarta seu ultima vocalis, quæ reperitur in modis Baralipton et Frisesomorum nihil significat; soli servit sono carminis.

2° Litteras s, p, m, c, designare modum quo fit reductio modorum ultimarum figurarum ad quatuor modos primæ figuræ. Istæ regulæ *reductionis* versibus sequentibus comprehenduntur.

S. vult simpliciter verti; P. vero per accid.
M. vult transponi; C. per impossibile duci.

Seu aliis verbis, S indicat conversionem simplicem propositionum; P conversionem per accidens; M significat mutandas esse præmissas, ita ut ex majori fiat minor; littera C in medio vocabuli posita indicat syllogismum non posse reduci directe, sed solum indirecte. Duplex enim est syllogismi reductio :

Alia, quæ dicitur *directa* seu *ostensiva*, est revocatio syllogismi imperfecti ad perfectum. Imperfecti sunt syllogismi omnes qui non pertinent ad primam figuram directam, dum syllogismi primæ figuræ dicuntur perfecti, quia clare et directe inferunt conclusionem.

Altera reductio, quæ dicitur *indirecta*, seu per *deductionem ad impossibile*, habetur, quando adversarius ad admittendum absurdum, scilicet duas contradictorias esse simul veras, cogitur, si nolit admittere syllogismi dati consequentiam.

77. — Ut aliquod præ oculis habeamus exemplum reductionis syllogismorum, sit, v. g., syllogismus sequens in *Darapti* convertendus :

A. *Omne animal* est sensu præditum,
(III. fig.) A. Atqui *Omne animal* est substantia;
I. Ergo aliqua substantia est sensu prædita.

Littera initialis D. indicat hunc syllogismum tertiæ figuræ reduci debere ad syllogismum *Darii* primæ figuræ, nam initiales designant modos correspondentes

in diversis figuris. 1° Vocalis A nulla afficitur littera quæ aliquam indicet conversionem aut mutationem. Sed 2° vocalis A littera P afficitur, quæ notat conversionem per accidens; hinc propositio minor debet converti, et sic habemus : *aliqua substantia est animal.* Tandem 3° vocalis I nullo afficitur signo aliquam conversionem aut mutationem indicante, ac proinde ultima propositio eadem remanet, reductione peracta, et sic exurget sequens syllogismus in Darii.

I. fig. A Omne *animal* est sensu præditum;
I. Porro aliqua substantia est *animal*,
I. Ergo aliqua substantia est sensu prædita.

In hoc syllogismo medius, est subjectum majoris et attributum minoris, ac proinde conclusio est directa, et syllogismus pertinet ad primam figuram.

Omnes ejusmodi præceptiones in praxi non maximam habent utilitatem; unde historiæ memorandæ causa a nobis breviter referuntur.

ARTICULUS IV.

De variis speciebus argumentationis non simplicis.

78. — Quædam dantur argumentationes quæ a simplicitate aut integritate syllogismi simplicis, qui propositionibus simplicibus tantum constat, aliquantulum desciscunt. Istæ argumentationes ad duplicem classem revocari possunt :

1° Sunt argumentationes quæ tribus tantum coalescunt propositionibus, et sic formam essentialem syllogismi explicite referunt; sed alterutra aut utraque præmissa est propositio composita; hinc constituunt syllogismum *compositum.*

2° Quædam sunt argumentationes quæ tum duabus tum quatuor, quinque, etc., constant propositionibus; constituunt ergo rationem argumentandi magis recedentem a forma syllogismi simplicis, qui haberi debet ut paradigma argumentationis, seu argumentationem Κατ' ἐξοχὴν exhibet.

§ I. De syllogismo composito.

79. — Tres sunt species syllogismi compositi : conditionalis, disjunctivus, et conjunctivus.

I. De syllogismo conditionali.

Syllogismus *conditionalis* ille est cujus propositio major enuntiat judicium hypotheticum; una pars hujus propositionis conditionalis affirmatur in minore et altera in conclusione; aut contra, una negatur in minore et altera in conclusione; v. g.: Si homo est justus, habebit vitam æternam : 1° Atqui est justus; ergo habebit vitam æternam : 2° Atqui non habebit vitam æternam; ergo non est justus.

Hic duplex modus, quo syllogismus conditionalis recte concludit: dicitur in scholis, primus, *modus ponens*, et alter, *modus tollens*.

Prima pars propositionis conditionalis dicitur *antecedens* seu *conditio*, dum alia pars dicitur *consequens* aut *conditionatum*.

80.— *Regulæ syllogismi conditionalis*. Iª *Regula. Si affirmatur antecedens in minore, conclusio debet affirmare consequens*, secus non esset nexus inter conditionem et conditionatum; Ex. : Si furtum facies, punieris; atqui furtum facies; ergo punieris.

IIª *Regula. Negatio consequentis in minore negationem antecedentis in conclusione importat :* etenim si conditionatum non verificatur, patet conditionem non esse positam. Ex. Si dies est, lucet; atqui non lucet; ergo non est dies.

IIIª *Regula. Ex negatione antecedentis nihil sequitur*, siquidem in aliis conditionibus consequens posset verificari.

IVª *Regula. Ex affirmatione consequentis nulla pariter eruitur conclusio*. Nam consequens posset esse verum quominus antecedens sit vera conditio :

Ex. : IIIæ legis : Si Petrus loquitur, vivit;

Atqui non loquitur; (perperam concluderetur) :
Ergo non vivit; vel ergo vivit.

Ex. : IV^{a} legis : Si Petrus loquitur, vivit;
At vivit; (non possumus etiam legitime concludere) :
Ergo loquitur, vel ergo non loquitur.

II. De syllogismo disjunctivo.

81.— Syllogismus dicitur *disjunctivus*, quando præmissam aliquam continet disjunctivam. Ex. : Petrus dormit, vel vigilat; atqui vigilat; ergo non dormit; atqui non vigilat; ergo dormit. Hinc illius sunt duæ formæ quæ, in scholis dicuntur, 1^{a}, *ponendo tollens*, et 2^{a}, *tollendo ponens*. Ex affirmatione unius membri disjunctionis concludimus ad negationem alterius, et vice versa; et idcirco duæ sunt regulæ :

I^{a} *Regula*. Si minor unum membrum affirmat, aliud vel alia membra copulative negantur in conclusione.

II^{a} *Regula*. Si minor negat unum membrum disjunctionis, alia membra *disjunctive* affirmantur in conclusione.

Ratio harum regularum in eo est quod prædicata exprimunt omnia genera ad quæ subjectum referri potest :- si uni refertur, non ad alia; si ad alia, non ad illud.

III. De syllogismo conjunctivo.

82. — Syllogismus *conjunctivus* ille est in cujus antecedente propositio conjunctiva ponitur.

Regulæ hujus syllogismi ad duas revocari possunt.

I^{a}. Ex positione unius partis infertur exclusio alterius.

II^{a}. Si excluderetur una pars in minore, altera pars deberet poni seu affirmari in conclusione, dummodo non sit medium inter membra enumerata. En exemplum : Petrus non potest simul Parisiis et Romæ esse 1° atqui hodie Parisiis est; ergo non est Romæ. — 2° a qui hodie non est Parisiis; ergo... nulla est conclusio quia distributio non est completa, siquidem præter civitates enumeratas sunt multa alia loca in quibus degere potest Petrus

In syllogismo sequenti, qui habet distributionem completam, ex negatione unius membri rite infertur affirmatio alterius : nemo potest Deo servire et diabolo : atqui Judas Deo non servit; ergo diabolo.

§ II. De aliis formis argumentandi quæ externa specie a syllogismo magis recedunt.

83. — 1° *De enthymemate.* Enthymema, e vocibus græcis εν θυμῷ depromptum, nihil est aliud quam syllogismus mutilus, cujus scilicet minor aut major reticetur. Duabus tantum constat propositionibus, quarum una infertur ex alia.

Ex : Anima est spiritualis; ergo et immortalis.

Præmissa quæ reticetur, facile deprehenditur, si consideretur utrum duorum extremorum in antecedente reperiatur : Si extremum quod exprimitur, constituit attributum consequentis, propositio expressa erit major; secus erit minor. In exemplo superius dato, propositio subaudita est major, nam extremum quod continet propositio expressa, seu *anima humana*, constituit subjectum conclusionis.

84. —2° *De Epicheremate*, Epicherema, græce, επιχειρημα, est syllogismus cujus alteri præmissæ vel etiam utrique sua probatio subnectitur. Si uni tantum propositioni subjungitur probatio, in duos syllogismos simplices resolvi potest; si utrique præmissæ sua adjungeretur ratio, in tres syllogismos resolveretur epicherema. Exemplum superius propositum formam epicherematis induere potest : Anima humana est spiritus, siquidem habet operationes quæ nullo pacto pendent a materia; atqui spiritus est immortalis, nam cum compositione careat, non potest dissolvi; ergo anima humana est immortalis.

85. — 3° *De Polysyllogismo*. Polysyllogismus est argumentatio in qua conclusio unius syllogismi assumitur tanquam præmissa alterius. In hac ratione argumentandi, uni syllogismo completo alter ita subnectitur, ut conclusio præcedentis fiat præmissa sequentis. Idem exemplum formæ polysyllogismi accommodatur : Quod non habet partes, non est dissolutioni obnoxium; atqui omnis spiritus non habet partes; ergo spiritus non est dissolutio-

ni obnoxius; atqui animus humanus est spiritus; ergo non est dissolutioni obnoxius... Ut per se patet, polysyllogismus omnibus legibus syllogismi simplicis subjacet, propterea quod non est aliud atque syllogismus multiplex.

86. — 4° *De Sorite.* Sorites (græce σωρεῖτες a verbo σωρος cumulus), seu *acervalis*, ut nuncupatur a Cicerone, est argumentatio pluribus propositionibus constans ita connexis ut attributum primæ fiat subjectum secundæ, attributum secundæ fiat subjectum tertiæ, et sic deinceps, donec formetur conclusio in qua subjectum primæ propositionis cum prædicato ultimæ copuletur. Ex. : Animus humanus est simplex; id quod est simplex caret partibus; id quod non coalescit partibus dissolvi nequit; ergo animus humanus dissolvi nequit.

Ex definitione et ex proposito exemplo patet soritem esse reapse syllogismorum acervum; potest enim sorites in tot syllogismos primæ figuræ resolvi, quot sunt præmissæ, dempta una.

Hæc forma argumentandi nititur hoc principio : Quidquid continetur in alio, contineri debet in iis omnibus, quæ hoc aliud includunt.

Regulæ soritis ad duas revocari possunt :

87. — I[a] *Reg. Non potest conflari solis præmissis negativis, imo inter præmissas affirmantes nulla negans debet reperiri;* nam etiam in hac secunda hypothesi, resoluto sorite, haberemus aliquem syllogismum duabus negativis constantem : hinc, sive sorites efformetur meris negativis, sive inter affirmantes unicam contineat negantem, non posset dare conclusionem, juxta V[am] regulam syllogismi. Tamen ultima propositio posset esse negans, quo casu et ipsa conclusio esset negans.

II[a] *Reg. Nulla præmissa in sorite sit particularis,* (nisi forte prima, et tunc conclusio erit particularis). Etenim cum sorites in syllogismos resolveretur, aliquis inveniretur syllogismus in quo medius bis particulariter sumeretur, quod est contra IV[am] regulam.

Præter has regulas, non dantur aliæ quæ sint speciales; nam quando dicunt logici soritem propositiones falsas aut ambiguas, et omnem terminorum immutationem repellere, dant regulam omnibus formis applicabilem.

88. — 5° *De Dilemmate.* Dilemma (δις λαμβανω, utrinque capio) quod ad syllogismum disjunctivum reducitur, et idcirco dicitur etiam *hypothetico-disjunctivum*, est argumentatio in qua ostenditur e duabus partibus alicujus disjunctionis unamquamque contra adversarium vim habere, et consequenter totam argumentationem concludere. Antecedens potest etiam tribus, quatuor, etc., constare membris, quæ singula contra adversarium valent : ex eo quod omnia membra concludunt, legitime infertur totam disjunctivam ad concludendum admitti debere. Vis hujus argumentationis fundatur in natura propositionis disjunctivæ.

Ex. : Illud dilemma Tertulliani in suo Apologetico adversus Trajanum.

Vel nocentes sunt christiani, vel innocentes; si nocentes, cur inquiri prohibes? si innocentes, cur delatis pœnam irrogas?

89. — Ut dilemma legitime concludat, requiritur :

1° *Ut disjunctio sit completa*, scilicet ut non sit medium inter membra disjunctionis, secus effugium haberet adversarius.

2° *Ut non possit retorqueri.* Potest retorqueri dilemma, quando singula membra ita possunt disponi, ut conclusio opposita conclusioni arguentis inferri possit.

ARTICULUS V.

De sophismatibus (*a*).

90. — Per sophisma intelligitur argumentatio quæ veri speciem præ se fert, licet ad falsum et absurdum adducat. Σόφισμα, *artificium*, *astus*, dicitur a sophistis : per sophistam enim intelligitur homo simulatam sapientiam ostentans.

Scholæ, post Aristotelem, sex fallacias *dictionis*, seu *in verbis*, παρα την λεξιν, enumerant, et septem *extra dictionem*, εξω της λεξεως, seu *in rebus*.

I. De fallaciis dictionis.

91. — Quoad fallacias dictionis duæ tantum, compositio et divisio, sunt relatu dignæ :

(*a*) Doct. angelicus inter opuscul. Fallaciarum, cap. XVI.

1 Est *sophisma* seu *fallacia compositionis,* quæ habetur quando fit transitus a sensu divisio ad sensum compositum.

2 Est *sophisma* seu *fallacia divisionis,* quando fit transitus a sensu composito ad sensum divisum.

Hoc sophisma sensus compositi vel sensus divisi habetur, cum infertur duo prædicata, quæ alicui subjecto simul competere non possunt, neque seorsim ei competere posse; seu aliis verbis, cum alicui rei tribuitur in sensu composito aut collectivo, quod ipsi in sensu diviso seu distributivo convenit, aut vice versa.

Sint in exemplum verba Christi dicentis: Cæci vident, claudi ambulant. Hæc verba vera sunt in sensu diviso : qui olim erant cæci, nunc vident; neutiquam vero in sensu composito; nam non sunt simul cæci et videntes : esset fallacia compositionis.

Propositio sequens e contra vera est in sensu composito, et falsa in sensu diviso : Apostoli Evangelium prædicaverunt in toto orbe; si diceretur : Atqui Joannes fuit apostolus; ergo in toto orbe evangelium prædicavit, illatio esset falsa; quia fieret transitus a sensu composito ad sensum divisum : hæc argumentatio esset fallacia divisionis.

II. De fallaciis extra dictionem.

92. — Ex fallaciis extra dictionem, seu in rebus, quatuor sequentes sunt relatu dignæ.

1° *Ignoratio elenchi* (ab ελεγχος, argumentum seu res demonstranda), quæ est illud vitium, quod in eo consistit ut quis nesciat aut fingat se nescire rem de qua agitur, ac proinde probet aut impugnet aliud omnino quam id quod in disputatione erat : per hoc ergo sophisma aliud evincitur quam sit id quod in quæstione versabatur.

2° *Petitio principii,* quæ habetur quando id quod probandum erat, pro demonstrationis ipsius principio assumitur; ut si quis quærens utrum sol vel terra moveatur, sic ratiocinaretur : Terra reapse immobilis est; ergo sol movetur.

Ad petitionem principii, potest revocari *circulus vitiosus,* in quem facilis est lapsus ex petitione principii. Illud

sophisma in eo consistit quod ex duobus quæ sunt probanda, unum per aliud probaretur : ut si quis, v. g., adstrueret existentiam Dei ex eo quod existit mundus, existentiam mundi ex eo quod existit Deus verax (1).

3° Sophisma, seu fallacia *non causæ pro causa*, locum habet quando alicui rei assignatur, tanquam causa, id quod reapse non est causa, uti, v. g., si quis ex eo quod duo eventus sibi immediate succedunt, inferret unum esse causam alterius, dum inter hæc facta sit mera successio sine relatione causalitatis.

4° Fallacia *accidentis* quæ habetur cum rei cuipiam absolute tribuitur quod ei non convenit nisi per accidens, aut secundum quid; uti, in sequenti exemplo veterum sophistarum : Epimenides ait Cretes esse mendaces : atqui Cres erat, ergo mentitus est; atqui ideo quia mentitus est, Cretes non sunt mendaces; ergo non mentitus est, etc.

In hoc exemplo aliquid absolute et simpliciter attribuitur quod tantummodo per accidens convenit : Cretes dicuntur mendaces, ideo quia frequenter mentiuntur; dum in illatione considerantur tanquam semper, et in omnibus mentientes.

CAPUT IV.

DE METHODO (a).

93. — *Methodus* (μετὰ, ὁδος) generatim inspecta est via ad aliquem terminum, seu ratio aliquid faciendi. Prout consideratur in logica, est via verum assequendi, seu *ordo in operationibus mentis adhibendus intuitu scientiæ adipiscendæ*. Hinc in methodo tria reperiuntur : principium, ordo seu processus a principio ad terminum.

(1) Circulus generatim sumptus significat duas demonstrationes iisdem terminis constantes quarum prima probat secundam et secunda primam; et sic complectitur circulum inutilem seu vitiosum, et circulum concludentem seu *regressum*, de quo agemus suo loco. Circulus vitiosus differt a circulo utili, quatenus termini secundæ demonstrationis non cognoscuntur *nisi per primam*, et sic demonstratur ignotum per æque ignotum, et idem per idem.

(a) Regulas methodi egregie explanat D. Thom. in lib. II *Metaphys.* lect. V, et in 1. Ethicor. lect. III. V. Vid. etiam Maurum in Aristot. I. Parisiis, 1885, et Alam. Sum. ibid.

et tandem ipse terminus, seu scientia. Methodus enim potissimum dicitur, non respectu veritatum obviarum quæ immediato intuitu vel uno syllogismo deprehenduntur, sed in ordine ad veritates abstrusiores quæ seriem ratiociniorum expostulant. Ergo tractatio de methodo ultimo loco venit in Dialectica, quia simplices apprehensiones, judicia et ratiocinia ita disponit ut systema aliquod notionum seu scientiam constituant : Hinc, sicut simplices conceptus sunt elementa judicii, et judicia elementa ratiocinii, ita etiam hæc tria sunt elementa methodi.

94. — Jam vero hæc ars sive discendi sive docendi duplici modo nos ducere potest ad veritatem scientificam.

1° A cognitione confusa *alicujus compositi seu totius* possumus progredi ad distinctam ejus elementorum cognitionem; et hæc methodus dicitur *analytica.*

2° Incipere possumus e contra a simplicioribus elementis alicujus objecti, et gradatim regredi ad elementa magis composita, ac tandem pervenire ad *totius objecti* cognitionem; et hæc methodus dicitur *synthetica.* Verum finis processus sive analytici sive synthetici est distinctior cognitio rerum seu scientia.

Hinc in isto capite agemus 1° de analysi; 2° de synthesi, et 3° de scientia, relictis variis erroribus qui nomine methodi (Cartesianæ, idealisticæ, empiricæ etc.) Condecorantur, cum istos errores directe confutare oporteat, non autem occasionaliter et prætextu methodi.

ARTICULUS I.

De analysi.

Analysis descriptio.

95. — Analysis (ἀνὰ λύσις) a verbo græco ἀναλύω *resolvo*, juxta vim vocis, *resolutionem* indicat. Quotiescumque ergo fit resolutio alicujus rei compositæ in elementa componentia, analysis habetur. Ex. : Si ratiocinium solveretur in judicia, judicium in conceptus, adhiberetur methodus analytica. Si analysis versatur

circa res ipsas, vel conceptus objectivos, dicitur *experimentalis;* si vero versatur circa conceptus formales, vocatur *rationalis.*

Hic generalissimus analysis conceptus facillime intelligi potest; sed dum hæc in variis applicationibus consideratur, tunc non adeo patens est processus analyticus, ut ejus distinctio a synthesi acutissimam attentionem non exigat. Mirum ergo non est quod tirones, qui philosophiæ operam dant, sæpenumero veram utriusque methodi indolem non capiant.

96. — Ut res fiat clara, 1° præ oculis semper haberi debet conceptus analysis, quæ in eo sistit ut *aliquod totum* in suas partes seu elementa resolvat; 2° Distincte sciendum est quid sit totum, quid pars in variis rerum generibus : sic compositum respectu simplicis, singulare respectu universalis, universale respectu universalioris, haberi debent ut *quædam tota.*

Hinc a compositis ad magis simplicia, a singularibus ad universalia, a minus universalibus ad magis universalia, ab effectibus, ad causam etc., progreditur. Comprehensio enim simplicis, universalis, universalioris, minor est comprehensione compositi, singularis, minus universalis (21, 48, 49). Idem dicendum est de effectu respectu causæ, nam in comprehensione notionis effectus ingreditur, tanquam pars, notio causæ.

Quid et quotuplex sit totum

Diversa hæc tota revocantur ad genus totius actualis sed præter totum actuale, datur etiam totum potentiale. Ideo considerari debet methodus analytica respectu totius actualis et totius logici seu potentialis.

97. — Per *totum actuale*, illud intelligitur *quod essentiam compositam habet, et constat partibus actu conjunctis;* v. g. homo.

1° Quando partes sunt *realiter* distinctæ et separabiles, dicuntur partes physicæ, et ipsum totum dicitur *totum physicum;* v. g. homo, cujus partes sunt anima et corpus.

Partes physicæ sunt vel essentiales vel integrales :

Essentiales sunt eæ quæ tolli nequeunt quin totius conceptus pereat, ut in exemplo superius proposito : tunc dicitur totum *essentiale.*

Sunt *integrales* seu quantitativæ, quando sine ipsis totum esset, sed non integrum : v. g. in homine, pedes, manus, oculi, etc. Totum constans partibus integralibus vocatur totum *integrale*.

Ad totum physicum revocari possunt totum *modale* quod constat pluribus modis eidem subjecto inhærentibus, necnon totum *virtuale* seu *potestativum*, quod constat pluribus facultatibus in eadem natura radicatis.

2° Quando partes non sunt realiter distinctæ, sed tantum per mentis considerationem possunt distingui, dicuntur partes *metaphysicæ*, et compositum dicitur *totum metaphysicum* : v. g. genus et differentia, seu animalitas et rationalitas in homine.

3° Tandem totum potest constare multitudine entium rationalium quæ inter se relatione aliqua *morali* connectuntur, cujusmodi sunt civitas, respublica, nempe omnes societates : illud totum actuale dicitur *morale*.

98. — Totum *potentiale* est illud quod non actu, sed potestate continet plura inferiora minus communia : sic omnis *idea universalis respectu inferiorum quæ sub extensione sua continet, est totum potentiale*. Dicitur potentiale, quia hæc notio universalis *potest* suis inferioribus applicari, v. g. animal est totum potentiale, quia non actu, sed potentia continet hominem et equum; vocatur etiam *logicum*, quia universale, qua tale, pertinet ad ordinem idealem seu logicum.

Partes totius logici dicuntur *subjectivæ*, quia ipsum universale de singulis dicitur, tanquam de subjectis.

Totum ergo potentiale partes habet in sua *extensione*, ac proinde proprie dicitur *omne*, dum totum actuale partes complectitur in sua *comprehensione*, et proprie dicitur *totum*.

Quomodo analysis hæc tota resolvat?

99. — Analysis utrumque totum, actuale scilicet et potentiale, respicit : 1° Toti applicatur actuali, dum hoc resolvit in sua elementa, hoc est, in partes vel notiones quas actu continet, et tunc proprie dicitur *resolutio;* totum enim actuale partes habet in sua comprehensione, et ideo per analysim vere resolvitur in sua elementa, physica vel metaphysica, essentialia vel integralia.

2° Toti potentiali duobus modis applicari potest, scilicet a toto descendendo ad partes, quas habet in sua extensione, vel a partibus progrediendo ad totum : cum singulæ partes subjectivæ in sua comprehensione includant hanc ideam universalem, quæ vocatur totum potentiale, fit ut resolutio comprehensionis cujusque partis det illud totum : totum enim potentiale dicitur de singulis suis partibus : v. g. animal de diversis animantibus includitur in comprehensione illarum partium. At dum minuit comprehensio alicujus notionis, augescit ejus extensio (49), seu *collectio* subjectorum quibus competit. (1)

Exinde videtur quare methodus analytica respectu totius actualis a veteribus, post Aristotelem, ***resolutio*** (ἀνάλυσις), dum respectu totius logici *collectio* (συναγωγή) ab iisdem vocabatur.

Sed recentiores methodum resolutionis et collectio nis appellant simpliciter methodum resolutionis, nam in utraque methodo, universale superius ex inferioribus colligimus, siquidem inferiorum conceptum resolvimus, et, neglectis iis in quibus differunt, notionem communem detegimus (2).

3° Cum methodus tendat ad scientiam inveniendam et explicandam, seu ad distinctam veritatis assecutionem, oportet ut judiciis et enunciationibus, quæ sunt perfecta cognitio (34), uterque processus breviter applicetur, ut indoles analysis distinctius pateat. Quando progredimur a subjecti consideratione ut ad prædicatum deveniamus, utimur analysi; nam subjectum est aliquod totum cujus pars est attributum, ac proinde notio attributi est universalior notione magis composita subjecti (69). Si initium sumatur a notione universaliori attributi, ut illum reducamus ad subjectum, progredimur a simplioribus ad magis composita et minus universalia, ideoque fit processus syntheticus.

(1) Descensus a toto potentiali ad ejus partes seu ad subjecta quæ in istius totius extensione continentur, videretur potius processus syntheticus, quam analyticus, cum progrediatur ab universali ad singularia; verumtamen dici potest analysis, cum a *toto*, ut tali, ad partes procedat, quidquid sit de « comprehensione » totius logici ejusque partium.

(2) Tongiorgi, log. lib. IV, c. 5.

Porro in ratiocinio conclusio pejorem sequitur partem (73), ac proinde syllogismus est processus syntheticus.

100. — Methodus analytica potest ideis applicari, et hæc applicatio constat *definitione* et *divisione;* per definitionem enim et divisionem aliquod totum varie resolvitur in elementa quibus coalescit, ut melius cognoscatur. Potest etiam judiciis experimentalibus applicari, tunc datur quidam processus analyticus, qui dicitur *Inductio.* Hinc agendum est de illis tribus processibus scientificis mentis quæ analysi constant. Utrum in ipsis concurrat etiam synthesis, postea videbimus.

§ I. De definitione.

I. Quid est definitio?

101. — Ideæ aliquando ex obscuris claræ effici debent, ut ad ordinem scientiæ evehantur. Porro idea efficitur clara, quando ab aliis ideis dilucide distinguitur, quod fit per definitionem; igitur *definitio* potest describi : *oratio explicans quid sit res de qua agitur, vel quid per vocem quamdam intelligatur.*

Definitio explicat sive naturam rei, sive significationem nominis; unde duplex definitio, altera nominalis, altera realis, prout *nomen* vel *rem* explicat.

102. — *Definitio vocum* fit 1° explicando quid vox significet, juxta usum, et hæc definitio *usualis* potior est. 2° Tamen aliquando definitio nominalis perficitur ex etymo, dum vocis significatio ex ejus origine grammatica eruitur : Sensus enim etymologicus indigitat usualem. Generatim vox explicatur per vocem clariorem sive alterius sive ejusdem idiomatis. 3° Tandem sensus vocis interpretatur juxta intelligentiam propriam loquentis, et hoc ad æquivocationem effugiendam : istæ definitiones dicuntur arbitrariæ. Verumtamen vitari debent ejusmodi definitiones, quando agitur de vocibus quarum significatio est clara et omnibus eadem.

103. — Definitio realis ea est quæ rei naturam explicat per enumerationem notarum quæ pares sint ad rem ab aliis secernendam.

Definitio realis est triplex, scilicet *essentialis, descriptiva* et *genetica.*

1° Definitio *essentialis*, quæ proprie definitionis nomen meretur, ea est quæ rem explicat enumerando notas essentiam seu speciem constituentes, sive hæ notæ sint partes physicæ, et tum definitio dicitur physica (1) sive sint partes metaphysicæ, quo casu definitio erit logica.

Si hominem definias : compositum ex anima rationali et corpore organico, fit definitio essentialis physica, per notas quæ sunt partes essentiæ physicæ; si definiatur, animal rationale, hæc definitio quæ est essentialis logica, conficitur per notas quæ sunt partes essentiæ metaphysicæ, seu per genus et differentiam.

2° Definitio *descriptiva*, seu descriptio, rem explicat sive per causas proprias (aut efficientem, aut finalem, aut exemplarem, etc.) et tunc dicitur *causalis;* sive per proprium : v. g., homo est animal sermonis capax, in quo casu dicitur *propria:* sive tandem per accidentia, seu qualitates accidentales soli rei descriptæ convenientes, sicuti definitio hominis quam dedit Plato : animal pulchrum, implume, bipes, habens caput erectum; et hæc definitio dicitur *accidentalis*.

3° Definitio genetica ea est quæ rei *genesim* refert, seu modum, quo res gignitur : v. gr., circulus est curva linea quæ *efficitur* per lineam sese vertentem circa fixum punctum. Definitio hæc differt a causali, quia non solummodo rei causam memorat, sed etiam *modum* describit quo res a sua causa gignitur. Quare distinguitur a descriptiva, cum ad solam causalem revocari possit.

Hinc definitio descriptiva et definitio genetica, quæ dare nequeunt ideis nisi majorem claritatem, præmitti debent definitioni essentiali, quæ has ex claris distinctas etiam efficit, et postponi definitioni nominali.

II. De legibus definitionis, potissimum essentialis.

104. — Leges rectæ definitionis sunt sequentes :

I. Ex parte *definitionis ipsius* :

1ª Reg. *Omnis definitio clarior sit definito*, nam munus definitionis est definitum clarius reddere : hinc si defi-

(1) Hurtado, disp. V, s. 1.

nitio est nominalis, debet fieri per notiora vocabula : si est realis, per res definito notiores.

2ª Reg. *Genere proximo et differentia specifica tantum coalescat*, aut saltem aliquo locum generis et differentiæ tenente : hoc enim modo peracta non erit latior nec angustior definito, sed toti et soli definito conveniet. Etenim prima pars metaphysica seu *genus proximum*, definito convenit et simul aliis speciebus huic definito parallelis, ac proinde indicat in quo natura rei definiendæ cum aliis rebus convenit. Dum autem huic parti metaphysicæ alia adjicitur pars, nempe *differentia* specifica, indicatur id in quo definitum ab aliis rebus differt, seu id quod est proprium; et ideo per has partes metaphysicas, rei natura ita declaratur, ut in se cognoscatur, necnon in suis relationibus tum convenientiæ tum discrepantiæ cum aliis omnibus.

In hac regula diximus, *aut saltem aliquo tenente locum generis et differentiæ*, in descriptionibus scilicet : nam aliquando res definienda nonnisi per analogiam habet genus et differentiam; et sæpius latet utrumque.

Nota. Si definitio hisce tantum elementis constat, in ea nihil erit superfluens et nihil desiderandum, unde sequens regula dialecticorum : *definitio nec sit superflua, nec diminuta*, fluit, ut corollarium, ex hac 2ª lege. Quando in definitione aliquid est redundans, nisi sit *proprium*, fit confusa, et *omni* definito non convenit; nam nota superfluens, quæ non est essentialis, non potest dici de omnibus inferioribus speciei definitæ. Si definitio est diminuta, non *soli* definito convenit; nam res remanet indeterminata, ac proinde aliis pluribus, præter definitum, applicabilis.

3ª Reg. *Definitum in definitionem non ingrediatur*, nec aperte nec latenter, nam aut definitio esset redundans, aut in circulum vitiosum impingeret, et alias nihil explicaret, cum idem per idem declaretur.

4ª Reg *Non sitne gans*, nam talis definitio esset latior definito, et non declararet quid sit res, sed quid non sit. Si tamen de duobus oppositis ageretur, tunc altero affirmate definito, alterum per primi negationem definiri posset. Ex. : si finitum definies : id quod certis limitibus coarctatur, infinitum definire poteris : quod limitibus non coarctatur.

II. — Ex parte *definiti*, si proprie definiri debeat :

1ª reg. *Definitum sit per se unum*, non multiplex nec unum per accidens tantum : illius enim solius cui vera inest natura, *definitio* dari potest : hinc complexa, ut sic, non definiuntur; concreta non definiuntur nisi secundum formale significatum : hinc etiam vox æquivoca, ut definiatur, dividi debet in varias suas acceptiones.

2ª reg. *Definitum sit compositum*, compositione saltem metaphysica et *universali;* alioquin nec genere nec differentia constaret.

105. — *Corollarium*. Ex hactenus enucleatis circa naturam aut circa leges definitionis colligimus :

1°. *Omnia proprie definiri non posse neque debere.*

I. *Non debent.* — *Prob.* 1° Aliquid non potest definiri nisi per notiones clariores re definienda : atqui si omnia essent definienda, hæ notiones clariores per alias magis claras illustrari deberent, et sic in infinitum; ac proinde quælibet definitio semper indefinitas expeteret notionum inferiorum illustrationes, et sic nullæ essent notiones ex se claræ. Ergo nunquam definitio dare posset clarum et determinatum rei conceptum, et idcirco impossibilis prorsus evaderet.

2° Res obscura definitionem expostulans nunquam posset describi nisi per res obscuras, et ideo nulla daretur definitio proprie dicta seu explicans quid sit res.

II. *Non possunt.* Præterea quædam sunt notiones simplices quæ simplicissimam habent comprehensionem, nulloque genere continentur, nec proinde possunt in partes resolvi, aut ad aliquod genus revocari : v. g. notiones transcendentales. Aliæ sunt notiones quæ carent differentia specifica, v. g. suprema genera, differentiæ ultimæ; vel quarum differentiam ignoramus, v. gr. individua, etc. Ergo omnes istæ notiones proprie definiri non possunt. Solummodo definiuntur species sive supremæ, sive intermediæ, sive infimæ, quarum constitutiva cognoscimus.

2°. *Quæ proprie definiri nequeunt, possunt tamen describi*, ita ut mentis attentio in ea dirigatur, earumque idea efficiatur clara. Diversis autem modis describuntur pro sua diversitate. vel per negationes, vel per relationes, vel per opposita.

106. — *Scholium.* Aristoteles duplicem proposuit methodum definitionem essentialem inveniendi : 1° *divisivam*, qua id quod certo est communius re definienda assumitur, atque in suas partes subjectivas dividitur et subdividitur, si opus est, donec inveniatur nota aut complexus notarum qui cum re definienda reciprocetur; 2° *collectivam*, quæ exorditur a consideratione individuorum quibus nomen rei definiendæ tribuitur, et neglectis notis individuantibus, eruitur ratio communis omnibus; postea, detractis differentiis specificis, ratio generica obtinetur distincta. Prima ergo procedit via *descensus*, altera autem via *ascensus*.

§ III. De divisione.

I. Quid est divisio?

107. — Quando idea quædam generatim inspecta remanet *confusa*, in divisione invenitur methodus eam distinctiorem reddendi. Divisio enim est *totius in suas partes distributio;* partes autem, cum in toto non clare et distincte percipiuntur, divisione semel peracta, singillatim considerari possunt, et sic aliæ ab aliis discerni. Exinde patet divisionis utilitatem magnam esse, quia reddit ideas distinctas, tollit æquivocationes terminorum et ambiguitates orationis, hincque memoriam juvat.

108. — Divisio potest versari circa *voces* vel circa *res:* Divisio vocis, quæ proprie dicitur *distinctio*, est distributio vocis æquivocæ et orationis amphibologicæ secundum suas diversas significationes. Divisio rei, quæ proprio nomine *divisio* appellatur, ea est quam antea descripsimus.

Divisio, quæ totum distribuit in suas partes, fieri debet diversa juxta *diversitatem totius*. Porro totum, ut antea diximus (97, 98) est vel *actuale* vel *logicum*.

1° Totum actuale distribui potest in partes physicas vel metaphysicas (98, 1°, 2°), et exinde divisio dicitur *physica* vel *metaphysica*. Partes physicæ sunt vel *essentiales* vel *integrales*, ac proinde divisio fieri potest secundum partes essentiales vel secundum integrales (98, 2°). Divisio metaphysica fit juxta partes essentiales et metaphysicas (98, 2°).

Ens simplex non est capax nisi divisionis metaphysicæ, dum ens compositum utriusque divisionis capax est.

2° Divisio totius logici, et generatim cujuslibet totius, potest fieri *per se* aut *per accidens*, prout totum distribuitur in partes quas per se continet vel secundum partium proprietates aut accidentia. Hinc divisio totius logici fit per se, quando genus in suas species aut in differentias distribuitur. Divisio dicitur per accidens, quando membra dividentia per se non sunt partes rei divisæ. Hæc divisio dici solet divisio *modalis* seu *totius modalis*. Tres sunt modi hujus divisionis *secundum accidens* : 1° Divisio subjecti ratione accidentium : v. gr., homo est vel albus, vel niger, vel cupreus, etc. 2° Fieri potest divisio modi seu accidentis ratione subjectorum quibus inhæret, ut cum dicis : Appetitiones aliæ sunt in homine, et aliæ in brutis. Tandem 3° divisio modalis fieri potest assumendo modum aliquem, qui ratione aliorum accidentium divideretur : Amara sunt vel salubria vel nociva.

II. De legibus divisionis.

109. — I^a^ *lex. Divisio sit adæquata*, scilicet ita fiat ut membra simul sumpta totum adæquent. Ratio hujus regulæ est evidens.

II^a^ *lex. Totum excedat quamlibet partem dividentem.* Nam pars non potest adæquare totum, multominus superare.

III^a^ *lex. Unum membrum divisionis alterum includere non debet*, secus una pars bis repeteretur induceretur que confusio : v. g. si globus terrestris divideretur in Europam, Asiam, Africam, Americam, Oceaniam et Italiam, hæc divisio esset vitiosa.

IV^a^ *lex. Divisio sit proxima*, nempe fiat primo in proxima et immediata membra. Dein, si opus est, hæc notio, quæ jam in omnes notiones inferiores fuit distributa, iterum dividatur secundum has notiones inferiores, quæ eodem modo partiuntur, scilicet in suas partes proximas et immediatas. Membra sunt proxima et immediata, quando immediate totum constituunt, non vero partem ipsius. Substantia, juxta hanc regulam, distri-

bueretur 1° in incorpoream et corpoream, 2° corporea subdivideretur in organicam et inorganicam etc.

Nota. Cavendum est tamen ne subdivisiones ita sint numerosæ ut ad minimas usque partes sine utilitate deveniamus. Ad præcavendum hunc defectum, Scholastici addere solent hanc regulam : *Divisio sit brevis.* « Simile confuso est, inquit Seneca, quidquid usque ad pulverem sectum est ».

Ratio quartæ regulæ est quod si fieret saltus in dividendo, non ordo et distinctio idearum oriretur, sed confusio ; quod est contra scopum divisionis.

§ III. De inductione (1).

I. Quid et quotuplex sit?

110. — Methodus analytica potest etiam quibusdam judiciis efformandis ac scientiis inveniendis applicari. Quando in veritate aliqua expendenda, a *subjecti* consideratione exordimur ut deveniamus ad notionem *prædicati*, methodus dicitur analytica. Etenim a notione *minus universali*, scilicet a subjecto, quod est aliquod totum, ad notionem *magis universalem* devenimus, nempe ad prædicatum, quod est pars ipsius subjecti (99, 3).

Sed pariter fieri potest quod a consideratione, non *unius* subjecti, sed *plurium* subjectorum exordiamur, ut deveniamus ad notionem communem his subjectis; quæ propterea notio est universalis respectu subjectorum. Hic processus analyticus dicitur *inductio*.

111.—Inductio (ἐπαγωγή) generatim sumpta, est transitus omnis a singularibus ad universale. Sed 1° aliæ notiones sunt singulares, et aliæ universales (29) : dum ergo fit transitus a singularium cognitione ad ideas universales, fit aliquo sensu *inductio in ideis*; hæc inductio est proprie abstractio. Ad ideam universalem assurgimus a singularibus exordiendo, quando essentiales istorum notas deprehendimus, notionibus individuantibus relictis. Ex. gr. : Habeo ideam hujus pruni vel hujus fagi, et exinde eruo has tantum notas quæ naturam arboris constituunt; tunc habeo arborem in genere. Hic con-

(1) D. Thom. Q q. disp. *de Veritate ;* q. 15, *de ratione superiori et inferiori*, art. 1, et lect. 1 in I *Metaphysic.*

ceptus est idea universalis, quæ abstractione obtinetur.

De hoc processu, a quibusdam recentioribus inductio, ab aliis *generalisatio* appellato, in præsenti nobis non est sermo; nam hic processus, quatenus idem est ac generalisatio naturalis seu simplex abstractio, in quæstionem psychologicam de origine idearum incidit. Quatenus vero revocaretur ad generalisationem *artificialem* et reflexam, non esset quid aliud quam illa operatio qua mens ex diversis objectis, vel etiam ideis universalibus, invicem comparatis, notas abstrahit, quibus conveniunt, iis neglectis quibus differunt. Quapropter subjacet legibus inductionis proprie dictæ, et ducere valet ad rectam *classificationem*, quatenus suppeditat seu manifestat diversos gradus universalitatis notionum.

112. — 2° Judicia etiam alia sunt universalia et alia particularia (61). Porro inductio proprio sensu dicitur de transitu a propositione singulari ad universalem.

Jam vero judicia universalia sunt vel immediata vel mediata (60). Quoad judicia analytica immediata, inductione utimur tantum ad intelligentiam terminorum, quatenus singularia aliquo modo adhiberi possent ad hanc cognitionem obtinendam; sed terminis semel intellectis, nexus per se patet.

Igitur ratio efformandi hæc judicia, sicut et ideas universales, perperam consideraretur tanquam methodus cientifica, et a fortiori tanquam methodus syllogismo *opposita*. Etenim in utroque casu agitur simpliciter de *abstractione*, quæ profecto respectu syllogismi est operatio distincta et prævia.

Hic tantummodo agitur de inductione spectata ut est methodus scientifica, scilicet de illo transitu a singulari ad universale, qui fit per *modum argumentationis* et in solis judiciis syntheticis adhibetur.

113. — Inductio sic determinata potest describi : *argumentatio qua de subjecto universali affirmamus quod experientia de singulis aut de pluribus ejus inferioribus detexit*. Antecedens hujus argumentationis constat propositionibus syntheticis immediatis, seu judiciis facta singularia exhibentibus. Consequens de universali affirmat quod experientia invenit commune inferioribus.

Jamvero antecedens potest omnia individua seu fac-

a singularia recensere, et tunc inductio dicitur *completa :* v. g. Galli, Angli, Itali, Germani, etc..., colunt scientias et artes; ergo omnes populi Europæi colunt scientias et artes.

Sed plerumque omnia individua singillatim inspicere et experiri est impossibile : quo casu antecedens *multa* recenset inferiora, sed non *omnia.* Tunc inductio dicitur *incompleta*, et tamen potest dare conclusionem certam : Ex. Corpora, quæ hactenus considerata sunt, sibi demissa deorsum ruunt; ergo omnia corpora sunt gravia. Quando inductio dat conclusionem certam, dicitur *perfecta :* quando probabilem tantum, dicitur *imperfecta* (1).

II. An differat a syllogismo?

114. — Inductio, ut supra definitur, a syllogismo differre videretur, 1° in quantum syllogismus ex universali infert particulare, dum inductio e singularibus ad universale assurgit; 2° in quantum syllogismus concludit cum medio diverso a termino minori, dum inductio, saltem completa, sine ullo medio concluderet.

Sed ad 1um discrimen quod spectat, illud se tenet ex parte materiæ, non ex parte formæ, ac proinde non mutat essentiam.

Ad 2um, inductio non reapse caret medio, nam licet medium concludendi seu series factorum singularium, *objective* idem sit cum subjecto conclusionis, id est cum notione universali, differunt tamen formaliter in modo exprimendi idem objectum, ut concretum ab abstracto, ut pars a toto, et hæc differentia formalis sufficit in præsenti casu.

Unde inductio, sive sit completa, sive incompleta, revera non differt a syllogismo (2) : Et sane,

(1) Aliqui inductionem etiam dividunt in *physicam* et *moralem*, « ex parte naturæ phenomenorum et legum quæ ex eorum observatione eruuntur »; sed hæc divisio petita ex objecto materiali non magis pertinet ad processum inductivum, quam ad cognitionem universim sumptam, et ideo inutiliter gravaret mentem discentium.

(2) Juxta Aristotelem, Albertum Magnum, etc., inductio differret a syllogismo 1° ratione *principii :* exorditur a singularibus seu ab iis quæ sunt notiora nobis, dum syllogismus exorditur ab universalibus, nempe ab eis quæ sunt notiora in se; 2° ratione *modi*, quo procedit :

1° Si est completa, identitas est obvia; inductio enim ad hanc formulam generalem reduci potest :

Omnibus inferioribus recensitis A, B, C, etc. (*subjecta particul. distributive*) convenit prædicatum B; seu A, B, C, = qualit. B.
Atqui hæc omnia inferiora A, B, C, etc., (*subj. part. collective*) æquivalent subjecto universali U; seu A B C = subj. U (seu naturam universalem).
Ergo huic subjecto convenit prædicatum commune B; seu U = B.

115. — 2° Inductio incompleta potest etiam reduci ad syllogismum, aut saltem ad plures syllogismos, qui totidem constituunt gradus quibus ad conclusionem generalem attollimur. Syllogismus generalis ad quem potest reduci inductio incompleta, in formula sequenti contrahitur :

Experiendo discimus *aliquid* ita constanter et uniformiter in pluribus individuis reperiri, ut censeri nequeat fortuitum et accidentale in ipsis, sed *cum eorum natura intrinsecus colligatum;*
Atqui natura, cum omnibus quibus constat, est communis omnibus suis inferioribus;
Ergo hic effectus, hoc phenomenon aut hæc proprietas est etiam communis omnibus individuis hujus naturæ.

Major hujus syllogismi, prælucentibus his principiis : *effectus constans et uniformis requirit causam etiam constantem et uniformem*, et, *sola constans uniformisque causa est natura*, ex ipsa colligi debet experientia; quæ toties iterari et variari debet, quoties id requiritur. ut certo videamus effectum, phenomenon aut proprietatem esse aliquid *permanenter* et *immutabiliter* inhærens omnibus individuis expertis, ac proinde *cum eorum natura intrinsecus colligatum*, seu aliis verbis, ipsi naturæ pertinens.

Sine medio concludit, unde non esset neque syllogismus completus neque enthymema.
Juxta Wolfium, Gallupium, etc., esset e contra purum enthymema.
ide Sanseverino, Log. p. I, c. III, art. 3.

Minor, sæpenumero implicita et in mente latens, est aliquod principium universale ordinis idealis (57), et idcirco inductio hæc est ratiocinium mixtum, ut videbimus infra.

In conclusione, quæ est judicium syntheticum universale, affirmamus simpliciter proprietatem quæ ad ipsam naturam pertinet, esse communem omnibus omnino individuis hujus naturæ.

Igitur inductio sive completa, sive incompleta, saltem spectata *forma*, nequit haberi ut argumentatio essentialiter diversa a syllogismo. Forma enim syllogismi in eo sistit quod fiat conclusio vi comparationis *cum medio;* porro inductio non proprie caret medio, ut constat ex dictis.

116. — Quando igitur inductio consideratur tanquam argumentatio a syllogismo diversa, hæc distinctio potissimum respicit inductionem completam, et fit ratione *materiæ*, non ratione formæ (1). Docet utique Aristoteles per syllogismum probari conclusiones quarum est medium, inductione autem conclusiones quæ non habent medium (114 nota). Sed semper venit quæstio, utrum inductio reipsa careat medio, etiam latenti in extremis.

117. — Quoad inductionem incompletam seu proprie dictam, cum existimant quidam (2) auctores eam esse processum mentis a syllogismo diversum, in quantum ab eodem ad diversum, imo a finito ad infinitum, etc., immediate progrederetur, vi cujusdam sensus divini, et per fidem quamdam ad leges universales sub phænomenis existentes, veram inductionis indolem non sufficienter rimati sunt. Etenim non animadvertunt inductione hac mentem a particularibus ad universalia non attolli, quando non est pura abstractio, nisi ope judiciorum immediatorum, sive analyticorum sive syntheticorum, quæ implicite remanent recondita in processu inductivo : v. g. *omnis effectus habet causam aut*

(1) Fateri tamen debemus id a pluribus gravissimis scholasticis negari : « Inductio, ait Albertus Magnus, in syllogismum reducitur *materialiter* et non *formaliter*, ita quod forma inductionis reducatur ad formam syllogismi » (Apud Sanseverino, l. c.).

(2) Gratry. Joubert, etc.

rationem sufficientem; natura est communis omnibus individuis ejusdem speciei, etc. Vi horum principiorum mens ad conclusiones generales devenit.

Sequitur ex dictis quod syllogismus, non tantum veritatem detectam demonstrare valet, sed etiam ignotam invenire : quod alias constat, quia ratiocinium *in fieri* transit de noto ad ignotum.

118. — *Scholium* I. Inductio completa qua utuntur geometræ, sicut et inductio incompleta quæ passim adhibetur in algebra, dum, v. g., formulas generales aut indefinitas constituit hæc scientia, semper reducuntur aut reduci possunt ad quasdam adæquationes, nempe ad syllogismos.

119.— *Schol.* II. Id quod affirmat consequens alicujus inductionis, dicitur metonymice *lex*, quæ in præsenti idem sonat ac modus constans et uniformis qui in agendo servatur. Lex est physica vel moralis, prout agitur de factis physicis vel moralibus.

120. — Ex dictis patet methodum analyticam non ita inductionem complecti et exhaurire, ut hæc argumentatio in quibusdam methodo synthetica non utatur; siquidem aliquo modo, revocatur ad syllogismum, qui generatim consideratus, ad processum syntheticum pertinet.

Ast, quia inductio auspicatur a minus universalibus ut deveniat ad universaliora, debet dici processus analyticus, licet interim synthesi utatur. Processus enim dicitur analyticus aut syntheticus ex ordine seu relatione exordii argumentationis ad ultimas conclusiones, ad quas conducit. Si exordium est magis simplex seu universalius quam ultima conclusio, processus erit syntheticus. Si principium unde orditur argumentatio, sit magis compositum quam ultima illatio, processus erit analyticus, licet in decursu argumentationum modo componat, aliquando dividat.

ARTICULUS II.

De synthesi.

121. — Synthesis (συν θέσις) a verbo græco συν τιθημι, *compono*, derivatur, et propterea, juxta vim vocis, idem sonat ac *compositio*. Sicut ergo analysis dicitur metho-

dus divisionis, ita synthesis dicitur methodus compositionis. Synthesis, non secus ac analysis, est *physica* vel *logica*. Et cum semper a partibus progrediatur, ut ex eis totum constituat, supponit analysim, cui succedit.

122. — Methodus synthetica ab universalioribus seu simplicioribus exorditur, ut ad notiones particulares seu magis compositas deveniat. Nam ut conceptus universalior fiat minus universalis aut particularis, sibi copulare debet quasdam notiones, quæ in tantum restringunt ejus extensionem; in quantum augent ejus comprehensionem; et sic, per hanc adjectionem notarum, conceptus simul suam auget compositionem, et aliquam amittit partem suæ extensionis seu universalitatis. Merito igitur methodus qua ab universali ad particulare devenimus, dicitur methodus compositionis, seu synthesis.

Ex gr. A conceptu *viventis* ad notionem *hominis*, quæ respectu prioris est minus universalis, devenimus per adjectionem notarum, quæ universalitatem viventis per gradus restringunt. Vivens enim aliud est *materiale*, et aliud *immateriale;* sed vivens *materiale* potest concipi tanquam *sensu præditum*, et tunc dicitur animal. At vivens 1° materiale, 2° sensu præditum, potest 3° esse *rationale*, et sic, per adjectionem hujus tertiæ notionis, exsurgit conceptus hominis.

Hinc, dum conceptus generalior componitur per appositionem variarum notionum, fit minus universalis, et in tantum decrescit universalitas, in quantum augetur hæc compositio. Si conceptui hominis alias adjicerem notas, in sua universalitate statim coarctaretur : homo *albus*, *parvus*, *doctus*, etc.; plures enim sunt homines albi quam homines simul albi et parvi; et plures sunt homines una albi et parvi, quam homines simul albi, parvi et docti, etc.

Ergo synthesis reddit ideas magis compositas et minus universales.

123. — Sed potest etiam applicari synthesis ad veritatem *judiciorum* explanandam, et tunc habet rationem methodi proprie dictæ.

Cum in judiciis attributum magis pateat quam subjectum, cujus est quædam nota seu pars metaphysica, synthesis, secus ac analysis (99, 3°), in judiciis debet

exordiri a consideratione *attributi*, ut ad *subjectum* deveniat via compositionis. Porro hæc via non est semper adeo plana et simplex, ut nexus inter attributum et subjectum statim et sponte sua pateat; ab uno ad aliud sæpenumero non fit gradus nisi, per seriem ratiociniorum, et exinde methodus synthetica proprie dicta requiritur.

Hinc de methodo synthetica in *ratiociniis* speciatim agendum est. Consideratur 1° quatenus ratiocinium generatim inspectum afficit; 2° progrediemur ad generalem considerationem formæ observandæ in disputando; denique 3° agemus de demonstratione. Hæc omnia revocantur ad methodum syntheticam, etsi processus analyticus aliquando occurrat.

§ I. De synthesi in ratiociniis.

124. — Generaliora principia seu axiomata sunt fontes aliorum judiciorum, et ideo priora in ordine disciplinæ. Jamvero per ratiocinium, quod effatis *dictum de omni*, *dictum de nullo* nititur, hic transitus a generalioribus principiis ad minus universalia peragitur, ac proinde ratiocinium ad methodum syntheticam revocatur, eo modo quo inductio ad methodum analyticam. Verum, ut constat ex antea dictis, ratiocinium, et speciatim syllogismus, non ita utitur methodo synthetica, ut tamen quandoque formam analyticam non induat (99, 3°); sed regulariter devenimus ab universalioribus ad particularia.

125. — A fortiori quando aliqua demonstratio ab axiomatibus aut generalissimo principio exordiens, per diversas applicationes horum principiorum devenit ad particulares conclusiones, atque ita per gradus progreditur ut veritas generalior antecedens sit ratio sufficiens veritatis specialioris consequentis, uti contingit, v. gr., in geometria, talis demonstratio procedit per methodum syntheticam. Nam tota hæc ratio demonstrandi, quæ serie syllogismorum coalescit, nititur effato *dictum de omni* (72, 1°); præterea subaudit veritatem jam detectam, ope methodi inventionis, eamque rite disponit in ordine ad veritates inferiores seu derivatas : exinde dicitur methodus *doctrinæ* seu magisterii.

§ II. De syllogistica disputandi forma.

126. — Disputatio late sumpta est quælibet argumentatio ad alterum, ad aliquid ei suadendum. Si finem intentum spectemus, totuplex distinguitur, quotuplex intendi potest finis. Dicitur :

1° *Apodictica*, seu demonstrativa lato sensu, quum instituitur ad aliquam veritatem alteri suadendam, vel confirmandam : 2° *elenctica*, seu redargutiva, si fiat ad sententiam ab altero statutam impugnandam, sive hujus falsitatem ostendendo, sive contradictoriæ veritatem stabiliendo; 3° *apologetica*, quando veritatem impugnatam tuendi causa instituitur; 4° *sophistica*, quando fit ad adversarium cogendum ut sibi contradicat, vel ut aliquid admittat sive veritati manifestæ, sive opinioni vulgo receptæ contrarium. Sed quando, duobus inter se argumentantibus, unus impugnat, alter defendit eamdem sententiam, habetur concertatio scientifica, seu disputatio stricto sensu sumpta, cujus finis non est solummodo veritatis defensio, vel erroris confutatio, sed etiam ingenii doctrinæque experimentum, aut facultatum intellectivarum evolutio. Et sub hoc respectu triplex distinguitur disputatio : *a*) *communis*, quum liberum disserendi modum servat, ut in colloquiis quotidianis; *b*) *socratica*, dum per interrogationes et responsiones procedit, sic artificiose quæsitas et gradatim dispositas, ut interrogationibus positis, necessario dentur responsiones intentæ; *c*) *syllogistica*, quando severa syllogismi forma utrinque concluditur : hæc frequentissime adhibetur, atque est veluti aliqua applicatio processus synthetici ad *quasdam partes* alicujus scientiæ. Hæc methodus disputandi etiam *scholastica* nuncupatur, quia media ætate a Scholasticis constanter fuit usurpata, et est quam maxime accommodata ad finem disputationis, nempe ad veritatem dilucide manifestandam, necnon ad intelligentiarum evolutionem. De ista speciatim agendum est, tum quia perfectior est in se, in quantum utitur syllogismo (79), tum quia magis vel unice usitata in scholis.

127. — In hac ratione disputandi methodus regere debet sive munus defendentis veritates propositas, sive officium arguentis contra prædictas veritates.

Qui thesim *defendit*, debet :

1° Totum argumentum adversarii fideliter repetere .

2° Regrediendo postea ad argumenti initium, judicium ferre circa totum ratiocinium ejusque partes modo sequenti :

Si forma recta non est, consequentiam statim neget, de præmissis non judicans; si forma sit recta, debet singillatim omnes partes diligenter perpendere.

In hac secunda hypothesi, quoad singulas propositiones, *concedat* veram, *neget* falsam, quin tamen negationis rationem addat.

Si quædam reperiuntur propositiones quæ ad rem non faciunt, *transmittat* seu *permittat*.

Si propositio sit ambigua, eam *distinguat*, concedens sensum verum et negans falsum.

Peracta hac prima distinctione, quando remanent membra æquivoca, flexiloqua seu ambigua, adhibeat *subdistinctionem*, qua clarius declarabitur sensus propositionis : deinde admittat vel rejiciat diversa membra subdistinctionis.

128. — Quoad munus *arguentis*, debet ita argumentum proponere ut ejus conclusio sit propositæ theseos contradictoria.

Argumento semel proposito, ad defendentis responsionem debet attendere.

Si consequens aut aliqua præmissa negaretur, eam probare debet.

Si defendens aliquam adhibeat distinctionem, tunc statim instaurari oportet novum argumentum sive

1° Impugnando ipsam distinctionem cui non esset locus; vel

2° Impugnando distinctionis applicationem; vel

3° Probando consequens ex ea parte quam concessit adversarius.

Antecedens hujus argumenti quod affertur post responsionem defendentis, dicitur *minor subsumpta*.

Talis est methodus quæ viguit apud celeberrimas scholas mediæ ætatis, atque etiam nunc viget in scholis Romanis cum maxima utilitate discentium. Expediret ergo ut apud nos in omnibus scholis philosophiæ et theologiæ instauraretur hæc ratio disputandi quæ mentem acuit veritatemque distinctiorem reddit.

129. — Hæc syllogistica disputationis forma aliquo modo revocatur ad processum syntheticum, quatenus nempe 1 generatim pertinet ad methodum doctrinæ seu expositionis; 2° quatenus theses ipsas firmat, earum partibus parum claris lucem dando; et 3° quatenus per syllogismos procedit, in quibus exordium ducitur a generalioribus principiis.

§ III. De demonstratione (1).

I. Quit et quotuplex sit?

130. — Methodus est ratio inveniendi aut demonstrandi. Prout speciatim agitur de ratione demonstrandi, methodus idem est ac *forma* demonstrationis. Porro *demonstrare*, idem est ac probare judicium quoddam esse sicut effertur : demonstratio enim proprie est ratiocinium quod « facit scire », seu dat scientiam actualem. Itaque superius dicta de syllogismo exhibent *formam* demonstrationis.

Sed demonstratio potest etiam considerari ratione *materiæ*, et sub isto respectu, præ divisionibus suis præcipuis, speciatim inspici debet.

131. — Demonstratio, ratione materiæ spectata, dividitur 1° in directam seu ostensivam, quæ etiam dicitur *apodictica*, et indirectam seu *apagogicam*. Est *directa* quando ostendit veritatem probandam contineri in principio certo; est *indirecta*, quando aliqua propositio probatur ostendendo absurditatem propositionis contradictoriæ : unde etiam dicitur probatio *per absurdum*.

Demonstratio directa potest esse vel *a priori* vel *a posteriori*.

1° Demonstratio a priori seu *propter quid* habetur, quando ex eo quod est prius secundum ordinem ontologicum, infertur id quod secundum eumdem ordinem sequitur, et a priore pendet : a causa ad effectum fit illatio per demonstrationem a priori. Dicitur etiam *propter quid*, quia exhibet rationem sufficientem *propter quam* prædicatum conclusionis subjecto inest.

Igitur demonstratio a priori expostulat ut ratio ontologica, seu causa cur res sit, antecedat etiam in ordine

(1) D. Thom. II *Posterior analytic.* lect. IV ; inter Opuscul. 48.

cognitionis, id est, sit prius cognita : exorditur ergo ab eo quod est tum in *esse* tum in *cognitione* prius.

2° Demonstratio dicitur *a posteriori*, quando id quod constituit principium demonstrationis ontologice dependet ab eo quod demonstratur : fit regressus ab effectu ad causam, et ideo dicitur etiam demonstratio *quia*.

Si *rationatum* prius cognosceretur quam ejus ratio, demonstratio ab illo exordium haberet, ac proinde esset a posteriori.

Hæc divisio est adæquata : vera enim demonstratio debet procedere ex medio necessariam habente connexionem cum re demonstranda, et notiori quoad nos; atqui omne medium necessariam connexionem habens cum re demonstranda, est vel causa, et facit demonstrationem a priori, vel non est causa, et facit demonstrationem a posteriori.

132. — Demonstratio etiam dicitur ***absoluta*** vel ***relativa***, prout exorditur a principio certo, et ab omnibus admisso, vel exorditur a propositione ab adversario accepta sive vera certa ve sit, sive non sit. Prima etiam dicitur ad *veritatem* κατ' ἀλήθειαν, dum secunda dicitur *ad hominem*, κατ' ἄνθρωπον (1).

133—Tandem quædam datur etiam demonstratio quæ dicitur *regressus demonstrativus*: Fit duplex demonstratio iisdem constans terminis, qua progredimur ab uno genere notitiæ ad aliud, medio examine intellectus; seu est processus in quo id quod fuit demonstratum in una demonstratione, sumitur pro principio ad probandam aliquam ex præmissis quibus ipsummet erat demonstratum : ut si quis postquam demonstravit omnem hominem esse rationalem, quia omnis homo est risibilis, postea vellet probare omnem hominem esse risibilem, quia omnis homo est rationalis (2).

(1) Veteres distinguebant etiam ratiocinium seu syllogismum *demonstrativum* a *topico* : demonstrativus est ille qui recte concludit vi formæ et constat *præmissis* certis et evidentibus, sive immediate sive mediate; topicus vero ille est qui recte quidem concludit vi formæ, sed constat vel utrisque præmissis incertis, vel una præmissa incerta. Itaque demonstratio proprie dicta est « ad veritatem » Syllogismus qui non recte concludit, vocatur falsigraphus seu sophisticus. De his supra dictum est, art. II. et V superioris cap., vel infra dicetur art. II. cap. 1 Log, critic.

(2) Vide Pont. disp. XXI. 9. 5; De Rhodes, disp. V. a. 8, etc.

Regressus differt a *circulo* proprie dicto, quatenus in circulo termini secundæ demonstrationis non cognoscuntur nisi per primam, et sumuntur eodem modo quo in prima ; in regressu autem termini secundæ demonstrationis sumuntur diverso modo, et non cognoscuntur tantum per primam, sed per medium examen mentis, id est, vel per sensus et experientiam, vel per explicationem terminorum, vel per alios discursus intermedios. Unde præter duas demonstrationes, quas habet sicut circulus, habet necessario præterea operationem quamdam mediam, quæ antecedat secundam demonstrationem et sequatur primam, vocarique solet *examen mentis* seu *inquisitio intellectus*.

Hujusmodi regressus est vera demonstratio, et est utilis scientiis, quoties habetur sufficiens cognitio de præmissis primæ demonstrationis, independenter a secunda demonstratione, etenim differt a circulo inutili seu vitioso (92).

II. Terminologia mathematicorum.

134. — In demonstrationibus præsertim mathematicorum, nonnulla adhibentur vocabula quæ hic declarari debent, utpote ad methodum pertinentia :

1° *Axioma* est *propositio theoretica* indemonstrabilis, cujus veritas patet sola terminorum definitione. Per propositionem theoreticam hic intelligitur quæ affirmat quid sit, vel fiat, dum *propositio practica* ea est quæ affirmat quid fieri possit aut debeat.

2° *Postulatum* est propositio practica quæ expostulatur ad dandam aliquam demonstrationem, atque ut evidens habetur. sive jure sive non.

3° *Theorema* est propositio theoretica demonstrabilis, dum *problema* est propositio practica demonstratione egens.

4° *Lemma* est propositio quæ desumitur ex alia scientia in qua demonstratur, necnon adhibetur ut demonstratio quædam perfici possit.

5° *Scholium* est id quod insumitur ut propositio quædam fiat clarior; ostendit enim utilitatem, extensionem, relationes hujus propositionis cum aliis; principia ponit quibus solvuntur difficultates.

6° *Corollarium* ea est propositio quæ ab alia propositione certa ita dimanat, ut ulteriore demonstratione non egeat.

7° *Hypothesis* est propositio conjecturalis quæ in medium adhibetur, sive ut ejus veritas aut probabilitas per diversas applicationes confirmetur, sive ut aliam collustret propositionem cujus ratio non certo et evidenter apparet.

III. De methodo perfectiore in tradendis scientiis.

135. — Ex hactenus enucleatis quæstio sequens non prætermittenda solvi potest :

Quænam sit methodus in inveniendis vel tradendis scientiis præeligenda?

1° Generatim in scientiis inveniendis adhibetur analysis, dum in iisdem tradendis usurpatur synthesis. (98, 3°) Verum tamen in ipsa expositione aliquando eligitur analysis; itaque responsio quæstioni propositæ distinctione quedam eget :

2° Vel agitur de singulis quæstionibus, tunc juxta indolem quæstionum adhibetur modo analysis modo synthesis, prout una vel altera expeditius et lucidius dat solutionem quæstionis ; hac in re ordo et perspicuitas tantummodo considerari debent.

Quando quæstio per analysim tractata non longiorem exquireret expositionem, hæc methodus est eligenda, utpote magis accommodata naturæ mentis humanæ; sed quia id plerumque non evenit, fit ut generatim adhibeatur methodus synthetica. etiam in singulis quæstionibus enucleandis.

3° Vel agitur de generali dispositione veritatum quas scientia hæc complectitur, tunc methodus synthetica est accuratior, quia majorem perspicuitatem et perfectiorem ordinem dat.

136. — Processus generalis qui synthesi utitur in generali dispositione notionum, dum in singulis quæstionibus modo analysim, modo synthesim adhibet, dicitur methodus *mixta*.

ARTICULUS III.

De scientia (1).

137. — Methodus ad scientiam assequendam nos dirigit; unde jam peracta tractatione de methodo ad ejus finem, qui est scientia, migrandum est.

Circa scientiam quærere debemus quid et quotuplex sit.

§ I. Quid sit scientia?

138. — Nomen *scientiæ* modo ampliorem, modo arctiorem significationem habet. Omissis significationibus abusivis,

1° Aliquando scientia significat quamlibet cognitionem evidenter certoque veram, sive per se notam, sive demonstratione, tam *quia* quam *propter quid*, comparatam, et sic opponitur errori, opinioni et fidei.

2° Strictissime vero scientia significat cognitionem discursivam quæ per demonstrationem *propter quid* acquiritur. Definitur ab Aristotel. (I. Post.) « cognitio rei per causam, per quam res ita est ut non possit aliter se habere ». Sic distinguitur tum a cognitione simplicis intelligentiæ seu immediata, tum a cognitione historica, id est a mera cognitione facti.

3° Præterea scientiæ vocabulum adhibetur in sensu objectivo et latius, ad integrum systema notionum denotandum, prout istæ notiones circa unum objectum versantur, et sub principiis a quibus procedunt ordinantur. Sic sumitur ut scientia quædam *totalis* comprehendens plures scientias seu notiones particulares (2).

4° Tandem nomen scientiæ aliquando in sensu subjectivo sumitur ad indicandum *habitum* qui mentem ordinat ad illud systema cognoscendum. Scientia enim proprie

(1) D. Thom. in *Physic.* lect. I.

(2) An dentur plures scientiæ totales, vel unica sit omnium rerum scientia totalis? Vide disputationes scholasticorum apud Pontium, Log. disp. XXII, q. ult.

dicta dividitur in *actualem*, quæ fuit superius definita (2°), et in *habitualem*, quæ est qualitas permanens inclinans intellectum ad cognitionem rei certam et evidentem. Sic Logici enumerant quinque habitus, seu *virtutes intellectuales*, nempe intelligentiam, sapientiam, scientiam, prudentiam et artem; sed per habitum scientificum hic præcise intelligitur scientia habitualis, seu id quod facilitat intellectum ad hoc ut possit facile et celeriter habere actum scientiæ (1).

139. — Ad scientiam illam (4°) constituendam tria requiruntur :

1° *Dogma quoddam princeps*, seu summum principium quod contineat rationem omnium notionum quæ ad hanc scientiam pertinent :

Nam omnis cognitio quæ ratione et discursu habetur, fit ex aliquo judicio antecedenti, quod sit aut per se notum aut jam demonstratum.

2° *Complexus notionum* particularium quæ ad primum principium referuntur;

3° *Nexus* quo notiones derivatæ, et principia quæ sunt fontes, mutuo colligantur. Primum principium est *causa propria* hujus scientiæ, et omnes aliæ notiones respectu primi dogmatis habent rationem *effectus*.

His omnibus coalescit objectum adæquatum scientiæ.

140. — Per *objectum* alicujus facultatis aut scientiæ generatim intelligitur id quod ipsi considerandum *objicitur*, seu circa quod talis facultas aut scientia versatur : sicut, v. g., objectum visus est id quod huic facultati objicitur, nempe colores; objectum scientiarum sunt res de quibus tractant tales scientiæ. Unde generatim objecta scientiarum dicuntur res vel rationes ad quas mente capiendas ferimur.

141. — Illud objectum scientiarum bifariam dividitur, scilicet in objectum materiale et in objectum formale. *Objectum materiale* est ipsa res circa quam scientia versatur; *objectum* vero *formale* est id quod in tali re facultas aut scientia attingit. Res ergo prout *est in se*, videlicet, cum proprietatibus et notis *omnibus* quas habet, est objectum materiale scientiæ; et res eadem, prout consideratur solummodo secundum no-

(1) An detur *habitus scientificus*, affirmant communiter Logici contra quosdam (apud Pontium, Log. disp. XXII, 9. 5.).

tas quas in ipsa conspicit scientia, dicitur objectum formale.

Ex. : Objectum materiale Geometriæ sunt corpora, dum ejus objectum formale est corporum extensio; objectum materiale Mechanicæ sunt etiam corpora, dum eorum mobilitas est objectum formale. Istæ scientiæ considerant corpora, non autem sub omni respectu, sed tantummodo præ quibusdam notis aut proprietatibus.

Objectum formale, quod descripsimus, appellatur a Scholasticis objectum formale *quod*, seu *terminativum* : consideratur in *esse rei*, seu quatenus in objecto materiali comprehenditur.

Sed scientia, nonnisi adminiculo cujusdam medii suum objectum attingit atque determinat. Illud cognoscendi *medium*, quo scientia utitur ad suum objectum cognoscendum et determinandum in ambitu objecti materialis, nuncupatur *ratio sub qua;* appellatur etiam objectum formale *quo* seu *sub quo*, aut *motivum*, quatenus refertur ad intellectum, seu eum movet ad cognoscendum.

Rationes ergo quibus res aliqua sese manifestat intellectui, dicuntur cognitionis objectum formale *sub quo* : sunt vel *intrinsecæ* vel *extrinsecæ* objecto *quod.* Rationes intrinsecæ manifestantes, iterum vel *identificantur* cum veritate manifestata, quæ proinde dicitur se manifestare per seipsam, vel sunt *rationes aliæ præcognitæ*, per quas veritas cognoscenda in illis inclusa manifestatur.

Strictius, objectum formale *quod* est id quod in objecto materiali determinatur per *rationem formalem sub qua*, seu est objectum de quo talis scientia agit *primo* et *per se*. Hæc *ratio formalis determinativa* objecti materialis, seu qua mediante objectum formale *quod* obtinetur et cognoscitur, est objectum formale *quo* seu *sub quo*.

Ex. : Objectum materiale Philosophiæ sunt res omnes; ejus objectum formale *quod* sunt ultimæ harum rerum rationes; *ratio sub qua*, seu objectum formale *quo*, est ratiocinium.

Ad indolem scientiæ melius determinandam nonnullas theses stabiliemus circa ejus objectum.

142. — Thesis I. *Scientia est de universalibus, non vero de singularibus*

Illud principium, a Platone propositum, ut scientiæ certitudinem contra Protagoram vindicaret, et apud philosophos receptissimum, sic adstrui potest :

Probatur. 1° *A posteriori.* Notiones quæ objectum scientiæ constituunt, sunt semper rationes pluribus communes, aut saltem quæ possunt esse pluribus communes. Atqui ratio pluribus communis est *unum habens habitudinem ad multa* (44, 45). Ergo objectum scientiæ est semper aliquod universale.

Quoad majorem animadvertendum est scientiam esse ordinis intelligibilis adeoque abstracti, seu non sistere in sensibilitate quæ percipit singularia, ut singularia sunt; proinde quando versatur circa singularia, isthæc considerat quatenus habent quasdam proprietates, quæ *in se* et abstractione facta subjecti singularis spectari possunt. Quod proprietates in tali subjecto insint, hoc est factum transiens. Hinc proprietates, etiam individuales, in scientia considerantur modo intelligibili et in abstracto, ac proinde sub ratione communi, seu sub ratione universalitatis accipiuntur.

2° *A priori.* Scientia est cognitio perfecta; atqui cognitio universalis perfectior est, ut talis, cognitione singulari. Ergo.

Scientia est cognitio invariabilis et certa; atqui sola cognitio quæ est de universalibus, potest esse invariabilis et certa. Ergo.

143. — *Corollarium.* Ut ex thesi patet objectum scientiæ, in quantum pertinet ad ordinem idealem, et sic abstrahit ab existentia contingenti, debet esse res necessaria. Hæc necessitas est vel *absoluta* seu ex rerum essentia resultans, vel *hypothetica* seu ex suppositione legum physicarum aut moralium orta. Eadem est, ex objecti parte, conditio sine qua non, seu potius fundamentum certitudinis qua frui debet scientia.

144. — Thesis. II. *Scientia perfecta illa est quæ rem explicat per causam aut rationem sufficientem.*

Probatur. Scientia perfecta ea est quæ 1° plene explet propensionem aut appetitum cognoscendi, atque 2° inducit cognitionem rei secundum quod illa res est in se;

Atqui, 1° mens humana non satis haberet si rem ita cognosceret ut tamen ignoret *cur res ita sit;* præterea 2° res non est in se nisi dependenter a suis causis seu a sui ratione sufficienti.

Ergo scientia perfecta debet rem explicare per causam, 1° ut nativa sciendi cupiditas in hac scientia quiescere possit, nec non 2° ut res intellectui perfecte repræsentetur eo modo quo est in se.

Si objectum scientiæ per causam non explicaretur, tunc ordo idealis non plene responderet ordini reali, ac proinde scientia esset imperfecta.

Cor. I. — Ex hactenus dictis de scientia inferre licet quatuor conditiones requiri ad *perfectam* scientiam : 1° ut sit *certa* absque formidine et ulla dubitatione, 2° *evidens* absque obscuritate, 3° de objecto *necessario* absque ulla vicissitudine, 4° per *discursum propter quid*, cum vera et legitima illatione unius ex alio.

Cor. II. — Scientia eo perfectior est quo 1° magis alta, magis adæquata, magis propria est causa per quam res explicat; quo 2° hæc causa certius et intimius cognoscitur. Hinc scientia *absolute* perfecta, ea est quæ res omnes explicat per causam primam *intuitive* cognitam. — Scientia relative perfecta, ea est quæ res explicat per causam primam perfectiori modo cognitam quo cognosci potest a nobis.

145. — Thesis III. *Scientia specificatur ab objecto formali strictius sumpto* (1).

I. *Specificatur ab objecto.* —*Probatur.* 1° Actus sciendi est quidam motus mentis ad objectum hujus scientiæ. Atqui motus quilibet a termino specificatur, siquidem norma motus est in objecto, quod ei assignatur ut finis. Ergo motus mentis cognoscentis, seu scientia, debet metiri ex objecto prout respondet principiis a quibus mens exorditur.

2°. Scientia est quædam intellectualis *repræsentatio;* atqui repræsentatio seu imago specificatur per objectum repræsentatum. Ergo.

II. *Specificatur ab objecto formali* strictius sumpto, nempe ab objecto materiali prout determinatur ab objecto formali *sub quo.* — Etenim 1° motus specificatur

(1) Mira varietas sententiarum apud scholasticos (Vide Pontium, Log. disp. XXII, q. ult., n. 78, 79, 80, 82, 85-89).

complete, non a solo termino, sed etiam a medio per quod ad terminum tendit; 2° objectum formale alicujus scientiæ constat notis et proprietatibus quæ in re quadam cognoscuntur (141). Porro scientia, quæ est intellectualis repræsentatio, non repræsentat totum objectum materiale, sed aliquid de ipso, seu formalitatem quamdam. Ergo scientiæ, sicut cognitiones omnes, specificantur ab objecto formali : repræsentatio specificatur per *id tantum* quod repræsentat.

146. — *Cor.* Totsunt scientiæ distinguendæ, quot adæquata distinguuntur objecta formalia, quidquid sit de confusa disputatione scholasticorum circa unitatem vel multiplicitatem scientiæ totalis.

De divisione enim adæquata scientiarum humanarum agebant olim scholastici; sed sub diversis respectibus quæstionem considerabant, et ideo diversæ erant divisiones. Ex dictis constat quæstionem illam repetendam esse ex objecto formali, ita tamen ut primitiva divisio immediate afficiat *scibile*, et membra hujus partitionis non convertantur nec sese includant. Hanc regulam obliti sunt aliqui recentiores.

§ II. Quotuplex sit scientia?

147. — Scientiæ generatim dividi possunt 1° ratione finis; 2° ratione extensionis objecti, et 3° ratione relationis ad invicem.

1° Scientia *inspecto fine* ad quem tendit, dividitur in speculativam et practicam.

Scientia dicitur *speculativa* quando 1° circa rem versatur quæ suum esse non habet a mente; quando 2° pro fine solam contemplationem alicujus veritatis habet, ita ut in se non sit nisi imago seu expressio sui objecti; v. gr., quid est Deus, quid est homo?

Dicitur *practica* quando 1° versatur circa rem operabilem, quæ scilicet ab ipsa dependeat tanquam ab exemplari causa; quando 2° pro fine habet operationem quam ultimo respicit, et ad quam dirigendam refert ipsam contemplationem veritatis, ita ut in se non sit mera imago, sed etiam typus seu exemplar sui objecti, v. gr., Deus est colendus.

Metaphysica, Theologia dogmatica sunt scientiæ speculativæ; Ethica, Jus sunt scientiæ practicæ.

2° Ratione *extensionis objecti*, dividitur in partialem et totalem.

Scientia *partialis* definiri potest : *certa cognitio alicujus rei necessariæ, habita per propriam ejus causam.*

Scientia *totalis* definitionem propriam scientiæ supra allatam (138) sibi vindicat, et propterea est *systema conclusionum demonstratarum quæ circa unum objectum versantur.* Unitas scientiæ ab unitate objecti formalis adæquati determinatur.

3° Scientiæ, ratione *relationis ad invicem*, distribui possunt in primarias seu principes, et secundarias seu derivatas.

Scientia dicitur *primaria*, quando ejus *ratio sub qua* ab altera scientia non petitur : v. gr., Philosophia, quæ sua principia fundamentalia ab alia scientia non repetit.

Scientia dicitur *secundaria*, quando ejus *ratio sub qua* constat principiis ex alia scientia desumptis : v. gr. Perspectiva respectu Geometriæ.

Scientia derivata est semper scientia *subalternata* respectu scientiæ primariæ a qua exordium duxit; verum scientiæ primariæ possunt etiam sub uno respectu subalternari, dum sub alio respectu præsunt. Subordinatio enim scientiarum ex diverso capite repeti potest, v. gr., ex nobilitate finis, amplitudine objecti, universalitate principiorum.

Ad perfectissimam *subalternationem* scientiarum tres requiruntur conditiones; 1° quod subalternans et subalternata versentur circa idem objectum; 2° ut subalternata consideret illud objectum sub ratione aliqua accidentali; 3° quod subalternata habeat pro præmissa aliquam conclusionem, quam ipsamet non demonstrat, sed quæ fuit demonstrata in scientia subalternante. Sequitur quod non possit haberi scientia actualis seu habitualis subalternata, quæ veræ scientiæ rationem habeat, absque scientia subalternante; nam evidentia veritatum deductarum nequit haberi sine evidentia principiorum.

Hic institui posset disputatio de falsis conceptibus *scientiæ* et *methodi* quos obtrudunt 1° *transcendentales* seu *rationalistæ* aut *idealistæ*, qui per scientiam intelligunt deductiones ex principiis a priori; 2° *empirici*,

materialistæ seu *positivistæ*, qui rationem veræ scientiæ denegant cuicumque cognitioni quæ non procedit ex ipsa experientia mundi visibilis. De his erroribus aptius agemus in alio loco, cum proprie non sint methodi speciales, sed puræ negationes quarumdam veritatum.

SECUNDA PARS LOGICÆ

LOGICA CRITICA SEU MATERIALIS.

148. — In priore Logicæ parte, exposuimus nexum rectitudinis quo cogitationes nostræ inter se colligantur, seu consideravimus *intrinsecas* rationis normas. Objectum formale hujus prioris partis Logicæ merito dicitur ens rationis, quod nunc idem dicit ac *dispositionem quam ratio nostra facit in rebus cognitis*, dum eas ordinat in modum syllogismi, judicii, etc. Hæc forma, qua disponuntur operationes mentis seu secundæ intentiones (22), est ens logicum, seu objectum formale Dialecticæ.

Sed præter hunc ordinem cogitationum mentis seu secundarum intentionum inter se, oportet etiam ut cognoscamus *nexum* quo ipsæ cogitationes cohærent cum rebus ipsis circa quas versantur. Consideratio *extrinsecarum* normarum, ad quas judicia exigi debent ut vera sint seu conformia objectis, constituit objectum proprium Logicæ materialis seu criticæ.

Hæc rectitudo judiciorum respectu rerum judicatarum, seu congruentia inter cognitiones et res cognitas, dicitur *veritas*. Igitur veritas, quatenus a mente assecuta, est objectum logicæ criticæ.

149. — Logica materialis debet ergo cognoscere :

1° Saltem præsuppositive, quid sit veritas; deinde quomodo mens ad veritatem se habeat.

2° Seorsim spectatis veritate ex una parte et statibus mentis respectu veritatis ex altera, Logica critica ulterius progredi debet inquirendo quomodo mens attingere veritatem possit, seu *quænam sint media* quibus mens et veritas, quas antea seorsim consideravimus, conjungi possint.

3° Præterea debemus cognoscere utrum veritas et mens ita conjungantur, ut vitari possit omnis deceptio ex parte mentis in illo actu quo veritatem assequitur.

4° Tandem positive spectata assecutione certa et tuta veritatis, debemus etiam negative considerare actum assequendæ veritatis, nempe rimari *causas præcipuas ignorantiæ et erroris*.

Hinc Logica critica in quatuor dispescitur capita.

In primo capite, agemus de veritate, veritatisque assecutione, in secundo, de viis assequendæ veritatis, in tertio, de veritatis criterio, et in quarto, de erroris et ignorantiæ fontibus.

CAPUT I

DE VERITATE EJUSQUE ASSECUTIONE.

150. — In hoc capite quæremus 1° quid sit veritas et in quanam mentis operatione reperiatur; 2° enumerabimus varios status mentis verum imperfecte et incomplete assequentis. Tandem 3° agemus de statu mentis verum plene et complete adipiscentis.

Hinc primus articulus erit de veritate spectata sive *in se* sive *in operatione* mentis in qua plene reperitur;

Secundus erit de variis statibus mentis imperfecte verum assequentis;

Tertius erit de certitudine, seu de statu plenæ adeptionis veritatis.

ARTICULUS I.

Quid sit veritas, et in quanam mentis operatione reperiatur (1)?

I. Quid est veritas?

151. — Veritas triplex distingui solet, nempe, veritas in intellectu, veritas in rebus, et veritas in sermonibus.

(1) De hac quæstione disserit passim D. Thomas, sed præsertim, p. I. qu. 14, art. 14, qu. 17. art. III, qu. 85, art. 1, *Contra gentiles*, III cap. 18. qq. disp., *De veritate* qu. I. art. III. Inter opusc. *De enuntiatione*, cap. V.

Prima nuncupatur veritas logica; secunda, veritas metaphysica; tertia, veritas moralis seu veracitas.

1° Quando intellectus rem percipit prout est in se, seu quando habet conceptus objectis conformes, veritas est in illo. Unde veritas *logica* nihil est aliud quam *intellectio rem intellectam adæquans* (1).

2° Veritas *metaphysica*, seu veritas in rebus, est ipsa rerum habitudo ad intellectum, quatenus sicut sunt cognosci possunt. Igitur veritas in rebus est *ipsa rerum cognoscibilitas* : unde veritas metaphysica duo importat : *a*) realitatem seu entitatem rerum, et *b*) ordinem ad aliquem intellectum, præcipue divinum. Si hæc ordinatio ad intellectum relinqueretur, haberemus ens ut sic, non autem ens ut formaliter verum.

3° Veritas *moralis*, seu veracitas, habetur quando sermones aut signa quæ mentis cogitationes exprimunt, reapse respondent hisce cogitationibus; unde veritas moralis describi potest : *concordia* seu *adæquatio manifestationis cum cogitationibus animi*. Hæc magis pertinet ad voluntatem quam ad intellectum.

Veritas ergo, sive consideretur in cognitione, sive in re, sive in sermone, semper aliquam importat relationem conformitatis inter intellectum cognoscentem et rem cognitam. Hinc veritas generatim sumpta a veteribus optime describitur : *Adæquatio intellectus et rei.*

Exempla : conceptus hominis, arboris, lapidis, etc., est verus, quando reapse exprimit hominem, arborem, lapidem, seu est fidelis eorum similitudo.

Res, v. gr., aurum, lapis, etc.. dicitur vera, non modo quia in se habet naturam auri, lapidis, etc., sed quia ut aurum, lapis, etc., cognosci potest : sic aurichalcum non habet naturam auri, et tamen exterius ut aurum apparet, et ideo dicitur aurum falsum : apparet enim cognoscenti aliud atque est in se, ac proinde ordo ad intellectum non respondet entitati.

Tandem quando *sermone* exprimo, v. g., reverentiam

(1) Vide apud de Rhodes (Philos. perip. lib. I, disp. 3, q. 2) diversas sententias scholasticorum circa veritatem formalem; an sit conformitas cognitionis cum objecto? Quid superaddat actui vero, et utrum sit separabilis ab illo actu? Tractationis nostræ brevitas non sinit ut de illis subtilioribus quæstionibus tractemus, quæ alias inutiliter obruerent mentem discentium.

erga aliquem, quam in corde revera habeo, hic sermo est verus, quia est adæquatio inter illud signum et rem significatam.

In logica agitur tantummodo de veritate logica, seu de conformitate mentis cum objecto formali, non autem de veritate metaphysica aut morali.

152. — Veritati logicæ opponitur *falsitas* conceptuum, seu *difformitas intellectus ab objecto.* Falsitas proprie dicta non reperitur in rebus, quæ *in se* semper sunt id quod sunt, et ab ideis divinis effectricibus dissidere nequeunt : veritas enim in rebus, cum sit ipsa earum intelligibilitas, potest utique ex imperfectione intellectus non recte apprehendi ; sed hæc falsitas non afficit nisi intellectum, seu est falsitas conceptuum.

153. — Veritas logica non importat ut objectum materiale sit plene cognitum. Objectum enim proprium cognitionis est objectum formale (141), nempe id quod in objecto materiali cognitione attingitur. Si enim quædam sunt in objecto materiali quæ in cognitione non repræsentantur, fit ignorantia, non falsitas : v. g. quando speculum refert imaginem solius capitis, non totius hominis, imago hæc est vera, licet totum objectum materiale non repræsentet. Sic, dum in lapide cognosco tantummodo pondus, duritiem, conceptus est verus, etiamsi rem totam non repræsentet; pondus vel durities constituit objectum formale hujus cognitionis. Igitur veritas logica adest quotiescumque cognitio conformis est cum objecto saltem *formali.*

II. In quanam mentis operatione veritas reperiatur ?

154. — Posita hac descriptione veritatis logicæ, quæri potest in quanam mentis operatione hæc veritas plene et perfecte reperiatur.

Ut constat ex dictis, certum est 1° veritatem reperiri tum in simplicibus conceptibus, tum in judiciis, tum etiam in perceptionibus sensitivis : ipsi enim conceptus dicuntur veri aut falsi, sicut judicia ac perceptiones sensitivæ. Nam quælibet repræsentatio, ut sic, est necessario conformis aut difformis objecto suo.

Certum est 2° veritatem logicam in judiciis aliquo speciali modo reperiri quo non est in simplicibus conceptibus nec in perceptionibus sensitivis. Nam *a)* judi-

cia seu propositiones dicuntur *veritates*, non autem simplices apprehensiones; *b)* judicia possunt *ex se* esse vera aut falsa, quia aliquando sunt conformia objecto, aliquando difformia; sed simplices apprehensiones non affirmant aut negant aliquid esse verum aut falsum. — Hinc quærendum est quonam *speciali* modo veritas sit in diversis his mentis operationibus (1).

155. — Thesis I. *Veritas logica est plene et perfecte in solo judicio, seu, juxta modum loquendi Scholasticorum, in intellectu componente et dividente* (affirmante et negante).

Prob. 1° Veritas logica est plene et perfecte in operatione quæ consistit in cognoscenda et affirmanda *conformitate* intellectus et rei. Atqui judicium solum exprimit hanc conformitatem mentis cum objecto. Ergo in judicio duntaxat invenitur veritas logica, seu formaliter sumpta.

Quoad majorem, animadvertendum est veritatem logicam seu formaliter sumptam stare in ipsa *conformitate* inter mentem et objectum; unde hæc operatio in qua ipsa veritas, seu hæc conformitas, est apprehensa et *affirmata*, est stricta veritatis expressio.

Probatur minor : Judicium nihil aliud est quam hæc intellectualis operatio qua affirmamus convenientiam vel discrepantiam prædicati et subjecti seu intellectus et rei : etenim si analysi subjiciamus judicium, constabit illud in eo consistere ut notio quædam per attributum significata, tribuatur subjecto (42); subjectum porro in judicio, seu in propositione, locum tenet *rei prout est in se*, dum prædicatum ponitur ut mentis *conceptus* qui afficit rem illam, cum prædicatum respectu subjecti sit quædam notio præcognita sub qua subjectum consideratur. Ergo affirmare congruentiam prædicati et

(1) Scholastici aliqui hic distinguunt veritatem *complexam* ab *incomplexa* : complexa est judicium de convenientia vel disconvenientia rei, quæ proprie appellatur veritas, eo quod per eam affirmamus aut negamus; incomplexa est conformitas simplicis cognitionis cum ipsa re, quæ minus proprie vocatur veritas, eo quod per eam nihil affirmatur aut negatur (De Rhodes, Phil. perip. lib. I disp. III q. 2 s. 231).

subjecti idem est ac affirmare conformitatem alicujus cognitionis cum objecto cognito.

Cor. Hinc in judicio affirmante veritas idem est ac subjecti et prædicati identitas, dum in judicio negante, idem est ac utriusque diversitas. Judicium ergo est verum quando res per subjectum repræsentata se habet ut enuntiatur, affirmative vel negative, seu quando mens cognoscit et dicit rem esse sicuti est.

156. — THESIS II. *In simplici apprehensione seu in intellectu* cognoscente quod quid est (*simpliciter apprehendente*) *veritas etiam reperitur, sed inchoative tantum, seu quatenus existens ut cognoscibilis, non ut cognita et affirmata* (1).

Thesis duplicem complectitur partem. Prima pars affirmat veritatem reperiri in simplice apprehensione; secunda pars indicit veritatem hanc esse tantum incomplexam aut impropriam, seu in hac operatione non reperiri ut cognitam, sed tantum ut repræsentatam.

Probatur 1ª *pars.* Veritas, ut jam pluries diximus, est conformitas mentis et rei; atqui simplex apprehensio nihil est aliud quam quædam similitudo expressa rei cognitæ, seu in hac operatione reperitur conformitas repræsentativa cum objecto repræsentato : ergo inter hanc similitudinem et objectum quædam existit conformitas seu veritas.

Probatur 2ª *pars.* Per simplicem apprehensionem *res* tantummodo percipitur, quin affirmetur aut negetur aliquid circa illam. Atqui exprimere veritatem idem est ac affirmare ipsam *convenientiam* rei et intellectus. Ergo simplex apprehensio, quæ est simplex repræsentatio, non exhibet veritatem ut cognitam et affirmatam.

157. — *Scholium.* Dum per novam mentis operationem, simplici apprehensioni superadditam, percipitur hæc relatio, dispicitur ipsa veritas. Simplex apprehensio ergo dat *materiam* hujus operationis, cujus objectum est veritas, sed non refert ipsam veritatem. Hac de causa Scholastici dicunt veritatem esse *materialiter* in simplici apprehensione, et *formaliter* in judicio.

(1) Quoad diversas sententias Scholasticorum, vide de Rhodes, l. c Hurtado, de *Anim.* disp. IX s. 2, etc.

158. — THESIS III. *Sensus veritatem et falsitatem aliquo modo participare jure dicuntur, licet analogice tantum.*

Prob. Sensus, dum objecta corporea percipit, eorum refert imagines sensibiles. Atqui istæ imagines rebus perceptis conformes sunt. Ergo in perceptione sensibili est etiam veritas seu conformitas perceptionis cujusdam et rei perceptæ. Prout enim sensatio intellectionem imitatur, rationem veri induit.

Deinde sensatio judicium etiam imitatur; percipit enim qualitatem sensibilem in aliquo subjecto.

159. — *Corollaria.* Ex dictis colligimus :

1° Falsitatem in mentem subire posse per solum judicium, quod simplicem apprehensionem consequitur;

2° Posse tamen falsitatem in simplici apprehensione, sicut et in perceptione sensibili reperiri, sed tantummodo *per accidens*, nempe quatenus istæ operationes occasionem dant falsi judicii, vel consequuntur falsum judicium (1).

ARTICULUS II.

De imperfectioribus mentis statibus respectu veritatis.

160. — Assequi veritatem duplici modo intelligi potest :

1° Intelligi potest de assecutione idearum objectis conformium : id importat tantum cognitionem rei, non autem ipsius veritatis;

2° Intelligi potest de assecutione ipsius veritatis, quatenus hæc assecutio sit veritatis cognitio, seu efformatio judiciorum rebus consonorum.

De hoc modo assequendi veritatem potissimum loquemur, quia in illo datur proprie *assensus*, qui est adhæsio seu conquiescentia mentis in objecto judicii tanquam vero.

Porro mens imperfecte vel perfecte veritatem assequi potest. Mens, veritatem *imperfecte* assequens, in triplici statu considerari potest, nimirum, in statu ignorantiæ, in statu dubii et in statu probabilitatis. De his tribus statibus singillatim nobis agendum est.

(1) Vide de Rhodes, l. c. qui impugnat sententiam negantem in prima operatione mentis reperiri falsitatem.

161. — I. *Ignorantia* (a). Mens imprimis potest concipi tanquam ideam objecti nullam habens, et tunc profecto non potest cognoscere conformitatem idearum cum tali objecto : adhuc in statu ignorantiæ detinetur.

Ignorantia duplex distingui solet, nempe ignorantia *pravæ dispositionis*, de qua postea agemus, et ignorantia *negativa*, quæ nunc consideratur.

Ignorantia hæc est totalis vel partialis, prout nullam prorsus objecti ideam habemus, vel aliquid tantum ad objectum pertinens nos latet.

162. — II. *Dubium*. Mens, ignorantiam excutiens, aliquam veri notitiam assequi potest, ita tamen ut ad aliquod judicium proferendum non gradiatur; tunc remanet in statu dubii, quod definiri potest : *suspensio mentis inter utramque partem contradictionis*. Juxta hanc definitionem, dubium habetur quando inter duas propositiones contradictorias mens remanet anceps, et in neutram partem inclinatur.

Dubium dividitur in positivum et negativum.

Dubium dicitur *positivum* quando hæc suspensio mentis fit *ex eo quod rationes quæ pro una propositione militant, destruuntur per rationes quæ alteram propositionem suadent*, et sic utrinque intellectus æque attractus hæret.

Dubium dicitur *negativum*, quando ex neutra parte reperiuntur rationes quibus mens ad judicandum impellatur, vel saltem quando istæ rationes sunt levissimæ, ita ut attentione non sint dignæ. Hoc dubium negativum reduci potest ad ignorantiam partialem.

163. — III. *Opinio et probabilitas*. Mens potest ideam seu propositionem aliquam cognoscere, ita tamen ut hæc cognitio, licet sufficiens ad assensum determinandum, non sit plena et perfecta neque omnem erroris formidinem excludat. Mens tunc versatur in statu opinionis.

Opinio definiri potest : *assensus mentis in alteram contradictionis partem, sed cum formidine de alterius partis veritate*. Opinio subaudit duas propositiones contradictorias; at differt a dubio ex eo quod unam præ altera amplectitur, dum dubium neutro adhæret.

(a) D. Thom. in lib. II *Metaphysic.* lect. I, in IV *metaphysic.* lect. 6.

Probabilitas dicitur de *motivis quæ opinionem gignere possunt*, seu ita gravia sunt ut approbationem mentis prudentis mereantur, dum *opinio* est ipse assensus rei propositæ præstitus propter hæc motiva. Ratione horum motivorum opinio et probabilitas varie partiuntur (1).

165. —I. Si spectatur probabilitas quoad suam originem, motiva assensum determinantia repeti possunt,

1° Ex intrinsecis rei constitutivis, et tunc probabilitas dicitur *intrinseca* seu *interna* ;

2° Ex affirmatione peritorum, qui de ipsa rei natura testimonium dant, et hæc motiva extrinseca determinant probabilitatem *extrinsecam* seu *externam*.

II. Spectato pondere motivorum, probabilitas dividitur in *gravissimam*, *gravem*, *levem* et *levissimam* seu *tenuem*, prout rationes, quæ assensum determinant, sunt gravissimæ, aut graves, aut leves, aut fere nullius sunt ponderis.

Opinio quæ probabilitate fundatur, dici potest *probabilissima*, *probabilior*, *æque* et *minus probabilis*, et tandem *improbabilis*. In opinione enim seu sententia probabili, consideratur propositio quam mens amplectitur, respectu propositionis contradictoriæ, et comparate ad illam dicitur probabilior, æque vel minus probabilis, etc., prout rationes sunt graviores, æque vel minus graves, etc. Hinc probabilitas quamdam latitudinem habet.

166. — Thesis. *Minor probabilitas in conflictu majoris non eliditur.*

Nota. Sunt nonnulli theologi qui autumant probabilitatem minorem in conflictu majoris penitus destrui. Sed falsitas hujus sententiæ sequenti argumento coarguitur.

(1) Motiva illa quæ assensum probabilem determinare valent, vocabantur a veteribus, post Aristotelem, loca *topica* seu *dialectica* (Vide Pontium, introd. ad Log. cap. 25) : topica, quia locos præbent in arte disputandi, quæ proinde vocatur topica ; dialectica, quia rationes disputandi cum majori vel minori probabilitate offerunt. Disputatio in præmissis probabilibus fit per syllogismos dialecticos, qui non differunt a demonstrativis, nisi ex certitudine præmissarum ; quapropter divisio hodierna Logicæ in formalem et materialem e medio sustulit « speciales » disputationes de syllogismo *dialectico*, qui simpliciter subjicitur legibus ratiocinii in logica formali explicatis.

Prob. Quælibet propositio probabilis, etiamsi probabilissima sit, potest esse falsa. Atqui quandiu una pars alicujus contradictionis potest esse falsa, altera potest esse vera. Ergo opinio minus probabilis, in conflictu propositionis probabilioris, suam servat probabilitatem seu in sententiam falsam non convertitur.

Quoad majorem, animadvertendum est sententiam eatenus dici probabilem, quatenus aliquam possibilitatem falsitatis includit. Statim enim ac omnem formidinem erroris explodit, evadit certa et non amplius dicitur probabilis, ac proinde tandiu servat rationem probabilitatis, quandiu remanet falsitati obnoxia : sola autem propositio omnino vera falsam reddit suam contradictoriam. Exinde patet conclusionem argumenti inficiari non posse, quin indoles probabilitatis immutetur.

167. — *Corol.* Probabilitas, ut ex dictis resultat, dividi etiam potest *in absolutam* et *relativam*, prout vis motivorum *in se* consideratur, vel respectu cognoscentis quem magis aut minus afficit. Eadem motiva possunt magis afficere hunc hominem quam alterum; non raro etiam contingit ut idem homo, pro circumstantiarum varietate, eodem motivo diverse afficiatur. Hinc probabilitas etiam *relative* considerari potest, et *judicium* de opinionum controversarum probabilitate suapte natura mutabile est. Tamen si opinio quædam probabilis sit omnibus hominibus, aut plurimis, aut saltem sapientioribus, hæc dicitur absolute probabilis, quia consensus talis significat eam *in se* vere esse probabilem.

168. — Probabilitas, cum latitudinem habeat (165), in aliquot secari potest particulas seu fractiones, quarum numerus gradum determinat probabilitatis. Non omnis tamen probabilitas potest numeris exhiberi, sed tantum illa quæ dicitur mathematica. Quandoque enim motiva quæ probabilitatem efficiunt, ab aliqua serie sive eventuum sive indiciorum non depromuntur; tunc nulla ejusmodi potest fieri divisio seu sectio probabilitatis, quæ tantum moraliter æstimari potest.

Quum agitur de eventibus, tunc probabilitas potest repræsentari per fractionem numericam, cujus *numerator* exhiberet numerum casuum eventui faventium, et *denominator* summam eventuum possibilium. Numerator unius fractionis collatus ad numeratorem alius

fractionis eodem denominatore constantis, exhibet gradum probabilitatis et certitudo haberetur ut unitas.

Sed certitudo non potest considerari tanquam congeries probabilitatum; siquidem certitudo, ut postea dicemus, distinguitur a probabilitate tanquam genus a genere.

ARTICULUS III.

De statu mentis veritatem plene assequentis, seu de certitudine.

169. — Certitudo, quæ potest esse scientifica vel naturalis, est ille status in quo mens *quiescit* in possessione veritatis; dum enim assensum præstamus veritati (160, 2°) sine erroris formidine, *certi sumus.* Certitudo igitur definiri potest : *firmitas adhæsionis veritati cognitæ.*

Ut patet ex definitione, certitudo primario dicitur de mente et secundario de objecto a quo determinatur. 1° Prout de *mente* dicitur, seu in quantum est legitima et firma adhæsio veritati cognitæ, dicitur *subjectiva* : quapropter non sola firmitas « persuasionis seu convictionis », ut aiunt, constituit certitudinem subjectivam, sed tantum adhæsio firma ipsi veritati est vera et proprie dicta certitudo. 2° Prout translate objecto tribuitur, quatenus illud objectum est idoneum ad hanc adhæsionem firmam extorquendam, dicitur *objectiva*, quæ proinde est necessitas veritatis seu ipsa veritas rei manifestata iis rationibus quæ postulant firmum assensum. Certitudo subjectiva, quam firmat certitudo objectiva, est certitudo *simpliciter dicta.*

Certitudo afficit ipsam *cognitionem*. Porro cognitio duo elementa subaudit, subjectum percipiens et objectum perceptum. Mirum ergo non est ipsam certitudinem etiam distribui in subjectivam et objectivam; est enim *formaliter* subjectiva, et *causaliter* objectiva : certitudo, cum sit status mentis determinatus a veritate percepta, nequit non inesse aliquo modo ipsi rei veræ.

Ex natura utriusque certitudinis liquet repugnare ut assensui *simpliciter certo* subsit error; assensus enim ille est *simpliciter* certus cui respondet certitudo objectiva.

170. — Certitudo subjectiva dividitur : 1° in *vulgarem* et *philosophicam*. Quælibet enim certitudo requirit non tantum motiva quibus innitatur, sed etiam motivorum istorum cognitionem. Atqui cognitio hæc duplex esse potest : *a*) spontanea, directa et confusa, inde certitudo vulgaris; *b*) reflexa, scientifica et distincta, et tunc certitudo dicitur philosophica.

2° In *naturalem* et *supernaturalem*. Naturalis est, quando motivum vel est naturale vel saltem naturali rationis lumine manifestatur. Est supernaturalis, quando motivum est supernaturale, v. g. auctoritas Dei revelantis, simulque supernaturali fidei lumine manifestatum.

Certitudo objectiva dividitur in *absolutam* et *hypotheticam*, prout objectum motivum ex se necessitatem et firmitatem habet, vel tantum ex quadam conditione impleta, id est, aliqua facta suppositione verificata.

Tandem utraque certitudo, præsertim tamen objectiva, dividitur in *metaphysicam*, *physicam* et *moralem*, ex diversitate fontis unde dimanat, seu motivi quo firmatur.

1° Si illud motivum est intrinseca idearum connexio, v. g. totum est majus sua parte, certitudo erit metaphysica. 2° Si illud motivum consistit in naturæ legibus, v. g. lapis sibi relictus deorsum ruit, certitudo erit physica; et tandem, 3° si motivum stat in legibus moralibus, v. g. parentes filios diligunt, certitudo erit moralis. Aliquando nomine certitudinis moralis condecoratur maxima probabilitas, sed improprie, siquidem non est vera certitudo.

Cum leges physicæ et morales sint modi constantes se habendi aut agendi inditi a Deo naturis creatis, fit ut possint impediri a Creatore : hinc certitudo physica et certitudo moralis sunt hypotheticæ per respectum ad metaphysicam, quæ sola dicit absolutam impossibilitatem oppositi. An istæ certitudines specie differant, vel una tantum admittenda sit certitudo proprie dicta, eaque metaphysica? controvertitur : Palmieri fuse disputat de illo argumento (1), et ostendere nititur unam esse certitudinem quæ metaphysica absoluta est, quia hæc sola exclu-

(1) Logica-critica, cap. I, th. 9.

dit simpliciter omnem formidinem erroris, et ad ipsam reducuntur certitudo physica et certitudo moralis. Sed hoc pendet a ratione distinguendi illas species certitudinis; si discrimen repeti deberet ex motivis specie diversis quæ ex sese excluderent omnem formidinem erroris, evidens fit unam esse certitudinem, metaphysicam absolutam, cum hypothetica, hypothesi verificata, fundetur etiam in intrinseca rei necessitate, seu reduci possit ad absolutam.

His præmissis, quæri debet utrum dentur in certitudine gradus :

171. — Thesis I. *Spectata solummodo adhæsionis intensitate, gradus in certitudine habentur.*

Nota I. Certitudo firmitate adhæsionis continetur, quæ duobus constituitur : 1° exclusione dubii, 2° intensitate assensus. Quoad primum, certitudo stat in indivisibili : negatio formidinis actualis in se spectata non habet gradus diversos : semper enim omnem excludere debet errandi formidinem. Sed si agitur de *sola intensitate* assensus et dignitate rationum quæ illum determinant, habentur gradus.

Nota II. Duo per se concurrunt ad certitudinem gignendam : motivum hujusque perceptio, illud ut causa proprie dicta, hæc ut conditio sine qua non.

Prob. Gradus in adhæsionis intensitate proportionalis est firmitati motivorum et claritati cognitionis. Atqui varia est firmitas in diversis motivis, varia etiam claritas cognitionis. Ergo varii dantur gradus in certitudine quoad adhæsionis intensitatem.

Major est evidens, nam semper effectus est proportionalis efficacitati causæ et aptitudini conditionum agendi.

Probatur min. 1ª *pars.* 1° Motivum certitudinis metaphysicæ est intrinseca idearum connexio, quæ nullam prorsus patitur exceptionem : v. g. hæc propositio : totum est majus sua parte, ita est vera ut nulla ei possit opponi exceptio. 2° Motivum certitudinis physicæ est constantia legum naturæ, quibus potest derogari per miraculum, ideoque jam minus est firmum, seu stabile : v. g. ignis comburit, nisi tamen aliter Deus jubeat. 3° Motivum certitudinis moralis est constantia legum

moralium, quæ libertati humanæ sunt obnoxiæ : v. g. Carolus magnus exstitit : hæc enim propositio subaudit veracitatem testium, et præterea certitudinem physicam ex parte primigeniæ facti cognitionis.

Hinc certitudo sive physica, sive moralis potest dici hypothetica, ac proinde ex se cedit metaphysicæ, quæ est absoluta. Attamen certitudo quælibet, etiam moralis, posset revocari ad metaphysicam, quatenus lex cui illa nititur, potest indirecte demonstrari, ita ut sit certa certitudine metaphysica.

Moralis certitudo physicæ ex se etiam cedit, quia in ipsa fundatur, et præterea aliis est obnoxia exceptionibus, præter illas quas habet communes cum certitudine physica. Ergo est discrimen ex parte motivi, ac proinde ex hac parte jam sunt gradus certitudinis.

Min. 2ª *pars* patet : nam cognitio ejusdem objecti non tantum magis vel minus clara est in diversis intellectibus, v. g. in Deo, angelis, hominibus, sed etiam in eodem pro diversitate culturæ, dispositionum, etc. Ergo datur etiam diversitas ex parte apprehensionis motivorum.

172 — *Coroll.* Hæc intensitas major quam sibi vindicat certitudo metaphysica præ aliis, et certitudo physica præ morali, accipi debet, *cæteris paribus*, id est cum pari cognitione; nam veritas v. g., de existentia Romæ, potest in nobis firmiorem gignere persuasionem quam nonnullæ veritates metaphysicæ, quæ ope demonstrationis evadunt certæ. Istæ veritates physice aut moraliter certæ conferri debent cum veritatibus immediate evidentibus.

173. — THESIS II. *Certitudo fidei, supernaturalis est omni naturali certitudine firmior, certitudine objecti et motivi.*

Nota I. Agitur de solo actu supernaturali fidei, non autem de quolibet assensu, etiam naturali et sine auxilio gratiæ, veritatibus revelatis, ideo quia sunt revelatæ, præstito.

II. Supponimus, ut postulatum aliunde probatum, lumen supernaturale fidei a Deo ad solos assensus *certos* dari.

Probatur. Certitudo per se pendet 1° ex firmitate motivi a quo determinatur, et præterea 2° e lumine

quod subjectum proxime disponit ad assensum præbendum; *per accidens* autem ex motione voluntatis. Atqui motivum fidei est firmius, et lumen quo subjectum proxime disponi debet ad actum, excellentius, præ motivis et conditionibus certitudinis naturalis; voluntas etiam, gratia Dei roborata, movet intensius intellectum. Ergo certitudo fidei supernaturalis omnem certitudinem naturalem excedit.

Major satis elucet ex antea dictis (171). Ad secundam partem, notandum est quod certitudo, ut diximus, non tantummodo pendet e motivo quod illam determinat, verum etiam e lumine quo facultas disponitur ad objectum sub motivo illo percipiendum. Quo dilucidior est perceptio objecti formalis, eo firmior fit vis hujus objecti ad extorquendum assensum. Hinc certitudo non minus pendet e lumine quo dilucidior fit manifestatio objecti, quam ex objectiva firmitate motivi.

Probatur minor, videlicet quod motivum in certitudine fidei sit stabilius et lumen nobilius.

1° Motivum enim quo assensus fidei determinatur, est ipsa veracitas Dei veritatem aliquam affirmantis. Porro veracitas divina firmior est qualibet evidentia naturali. Ergo motivum in certitudine supernaturali est firmius quolibet alio motivo certitudinis naturalis.

2° Præterea lumen quo mens collustratur ut fiat capax percipiendi veritatem revelatam per actum fidei supernaturalis, est lux gratiæ quæ intellectum illuminat et perficit. Atqui lumen illud longe perfectius est lumine naturali nostrarum facultatum.

Ergo tum ex parte motivi, tum ex parte luminis, certitudo fidei supernaturalis firmior est qualibet certitudine naturali.

174. — *Cor.* I. Ex veracitate ergo Dei loquentis liquet absolute repugnare ut falsitas esse possit in objecto fidei; et etiam repugnat ex natura ipsius *assensus* supernaturalis, ut error esse possit in actu fidei : « Assensus fidei, ait de Lugo (1), habet etiam certitudinem et infallibilitatem a suo principio, quo elicitur, nempe ab auxilio gratiæ. » Hoc auxilium est concursus Dei, qui non datur nisi ad actus veros. Inde certitudo objectiva fidei est absoluta et metaphysica.

(1) *De fide*. d. I, s. 8.

Cor. II. In subjecto ergo quod actum fidei divinæ elicit, firmitas assensus debet esse qualem exigit infinita auctoritas Dei, quæ meretur ut ejus locutioni humana voluntas et humanus intellectus se plane subjiciat et assentiatur *æstimative super omnia.* Et ad hoc homo excitatur, illustratur, confortatur viribus gratiæ supernaturalibus, et sic certitudo subjectiva fit ipsa cæteris firmior.

CAPUT II.

DE FONTIBUS VERITATIS, SEU DE MEDIIS ASSEQUENDÆ VERITATIS.

175. — Hactenus quæsivimus quid sit veritas, et quot sint status mentis respectu veri. Nunc ulterius progredientes, considerare debemus an, quomodo et quibusnam mediis mens veritatem certam sibi comparet. Media illa quibus Auctor naturæ hominem instruit ad verum certo assequendum, quæque proinde dici possunt fontes veritatis, sunt facultates, quæ ad tria genera revocari queunt : 1° ad sensum intimum; 2° ad sensus externos; 3° ad intelligentiam seu intellectum et rationem.

Præter hæc media interna quibus homo percipit veritates obvias, nempe sibi ipsi præsentes, alio instruitur medio quo potest veritates quasdam detegere, quæ ob spatium temporis, aut locorum dissociationem non sunt obviæ : ille ultimus fons veritatis est testimonium humanum. Hinc in quinque articulis disputabimus de fontibus veritatis :

In 1° articulo agemus de sensu intimo et conscientia;
In 2°, de sensibus externis;
In 3°, de ideis, seu de intellectu et ratione;
In 4°, de testimonio humano;
Denique in 5°, de scepticismo, qui ex toto vel ex parte veracitatem horum mediorum inficiatur.

In his veritatis fontibus nunc consideramus tantum, ex una parte, an idonei sint ad ideas objectis conformes nobis præbendas, et, ex altera, an cognoscere possimus illas ideas reipsa esse conformes propriis suis objectis. Hæc idoneitas facultatum perceptivarum vocatur aliquando *veracitas;* et principium quod judicat de

ipsa conformitate idearum cum rebus, seu de veracitate illorum fontium veritatis, est intelligentia, quæ proinde appellatur *criterium quod.*

ARTICULUS I.

De sensu intimo ejusque veracitate.

§ I. Quid sit sensus intimus?

176. — Sensus intimus est illa animi facultas qua percipimus quidquid in nobis intime accidit, seu *facta interna.* Per factum internum intelligitur omnis modificatio seu affectio subjecti sentientis, ut dolor, gaudium.

Facta interna sunt duplicis ordinis, nempe :

1° Affectiones *ipsius humani compositi*, id est, animi cum corpore, uti dolor, mœstitia. 2° Actus *solius animi*, scilicet actus intellectus et voluntatis; v. g. cogito, judico, volo. Facultas qua primitus facta interna primi ordinis percipiuntur, proprie est *sensus internus*, et facultas qua facta secundi ordinis apprehenduntur, nuncupatur *conscientia*, quæ etiam, ut facultas nobilior et perfectior, potest reflexo intuitu attingere id quod sentit sensus internus. Conscientia ergo potest reflexione *quadam* se convertere ad omnia facta interna.

177. — Verumtamen licet conscientia reflexione suum objectum percipiat, non omnis reflexio dicitur actus consciendi. Duplex enim distingui debet reflexio : Alia est qua intellectus in facta interna se convertens percipit tantum *objecta* quæ in ipso repræsentantur. Alia est qua intellectus suam propriam percipit *actionem cognoscendi*. Reflexio enim subaudit cognitionem præviam. Porro ad cognitionem duo requiruntur : subjectum percipiens et objectum perceptum. Igitur reflexio in aliquam cognitionem potest speciatim versari sive circa subjectum percipiens, sive circa objectum perceptum, seu melius, circa similitudinem objecti quæ est in mente : secunda dicitur *ontologica*, et non est actus consciendi. Prima nuncupatur reflexio *psychologica*, et est id quod proprie dicitur *conscientia.*

178. — Ex enucleatis constat conscientiam discriminari a sensu interno

1° Ex eo quod sensus internus, ut facultas sensilis et

organica, nequeat versari circa operationes solius animi, quæ sunt objéctum proprium ipsius conscientiæ : perceptio enim sensus interni est mere sensitiva, dum perceptio conscientiæ est intellectualis.

2° Ex eo quod conscientia, præter objectum proprium, possit etiam attingere facta quæ experitur sensus internus, qui tunc conscientiæ quasi materiam offerret (1). Sed in præsenti de natura et distinctione facultatum speciatim non agitur, sed solum de earum veracitate.

Quærimus ergo duntaxat utrum hæ facultates sint media idonea ad verum assequendum.

Quoad veracitatem sensus interni et conscientiæ, duas theses stabiliemus in § sequenti.

§ II. An sensus internus et conscientia sint veraces?

179. — Thesis I. *Veracitas sensus interni in dubium revocari nequit.*

Nota. I. Hæc propositio demonstrationem proprie dictam non patitur, quia agitur de facto aliquo primigenio per se evidenti, quod propterea per veritatem superiorem et certiorem illustrari nequit.

Nota. II. Hæc animadversio valet pro omnibus aliis facultatibus. Quando igitur veracitatem mediorum cognoscendi, quibus a sapientissimo rerum Conditore ornati sumus, adstruimus, id non intelligi debet de demonstratione apodictica, sed tantum de demonstratione *apagogica*, nempe *per absurdum contrarium*. Veritas affirmationis comprobatur ex manifesta absurditate negationis contrariæ.

Veracitatem nostrorum cognoscendi mediorum vindicabimus ex eo quod negatio 1° importaret eversionem principii contradictionis : *Aliquid non potest simul esse et non esse*, vel 2° Deum, auctorem naturæ, aut impotentem aut mendacem faceret.

Probatur thesis. In tantum sensus internus esset fallax in quantum aut sentiret dum nihil adest sentiendum, aut aliud sentiret quam id quod sentire putat. Atqui neutrum dici potest. Non 1um : cum sentire idem sit ac aliquid sensu percipere, si sensus internus sine objecto

(1) Vide Tongiorgi, *Inst. log.*, n. 446.

sentiret, juxta hypothesim, tunc simul sentiret et non sentiret, quod negationem principii contradictionis importat.

Nec etiam 2um dicendum est. Nam si accideret ut, dum sensus internus aliquid sentit, aliud tamen diversum perciperet, tunc etiam simul aliquid sentiret et non sentiret. Ergo sine manifesta absurditate in discrimen revocari nequit veracitas sensus interni.

Generatim ergo implicat contradictionem aut dari actionem sine objecto, aut fieri operationem quin tamen agens agat.

Hæc brevis probatio sufficit quoad veritatem de qua homo sanæ mentis nunquam dubitare potest.

180. — Thesis II. *Conscientia falsitatis argui nequit quoad judicia quorum immediate præbet materiam.*

Hæc propositio, sicut superior, non demonstratur, sed declaratur.

1° *Negari nequit sine contradictione.* Qui hanc veracitatem in dubium revocaret, affirmaret *se dubitare* de testimonio conscientiæ. Atque nonnisi illo testimonio innixus, suum dubium affirmare potest, siquidem illud dubium est factum internum. Ergo testimonium conscientiæ simul ut verum et falsum haberetur.

2° Huc etiam vim obtinet argumentum superius datum pro sensu interno. In immediatis conscientiæ judiciis error revera esset si in subjecto consciente non existeret ea affectio, quam conscientia renuntiat, eo ipso tempore quo eam sentit. Atqui aliquam affectionem sentire idem plane est ac illam habere; apparentia enim heic dari nequit a realitate diversa; nam apparentia hæc esset ipsa affectio subjecti, nempe realitas conscita. Ergo.

3° Subjectum consciens et objectum apprehensum sunt unum quid et idem realiter : unde affectio non potest esse in sensu subjecti, nisi eo modo quo est realitas objectiva.

181. — *Scholium.* Omnis certitudo *subjectiva*, etiam principii contradictionis, certam supponit conscientiam, saltem de *aliquo interno facto.* Etenim si quis de iis omnibus quæ sentit, dubitaret, profecto de iis etiam dubitaret perceptionibus quibus cognovit necessitatem

hujus principii. Igitur sensus intimus est conditio ad omnem subjectivam certitudinem, licet non sit *ratio* ob quam omnem veritatem cognoscimus.

ARTICULUS II.

De sensibus externis.

§ I. De sensibus externis et sensatione.

182. — Sicut per sensum intimum internas percipimus affectiones seu modificationes et facta interna, ita per sensus externos in cognitionem devenimus rerum externarum, seu a nobis distinctarum. Porro in hac apprehensione rerum externarum, ministerio sensuum externorum, qui numero quinque sunt, videlicet : Visus, Auditus, Odoratus, Gustus et Tactus, tria consideranda sunt, nempe objectum ipsum, facultas seu instrumentum et ipse actus.

Quoad *ipsam facultatem*, in sensibus distingui debent *organum* quod impressiones materiales objectorum recipit, et ipsa vis *sentiendi*, quæ est anima ipsa impressionem objectorum persentiens. Organum, prout de particulari sensu dicitur, nuncupatur *sensorium*. Sensus aut facultas sentiendi describi potest : *Facultas cognoscendi sensibilia ut sensibilia.*

Quoad *objectum*, nonnulla sunt animadvertenda :

1° Quilibet sensus suum proprium habet objectum, quod est aliqua sensibilis qualitas, illa nempe quæ sensum per se et primario afficit.

2° Objectum proprium visus est lux cum suis diversis coloribus; Auditus, sunt soni seu motus vibratorii corporum; Olfactus, sunt odores qui ex actione tenuissimarum particularum disperguntur; Gustus, sunt sapores ex solutione quadam corporum emergentes, et tandem objectum proprium Tactus sunt resistentia corporum ejusque diversæ modificationes : ut durities, asperitas, levitas, etc.

Denique *in ipsa sensatione* duo distingui debent, nimirum :

1° Modificatio organi animati ex agentis externi actione; quæ modificatio a veteribus vocabatur *species sensibilis impressa.*

2° Hujus impressionis in anima præsentia percepta, seu cognitio ipsa sensibis, quæ proprie et formaliter sensatio est, atque a veteribus *species sensibilis expressa* appellabatur.

Sensorium, seu organum animatum, est *subjectum* sensus, dum anima est ejus principium.

Igitur omnis sensatio experientia quædamest objecti præsentis.

183. — Sensibile illud quod sensationem determinat, triplicis generis esse potest, videlicet sensibile proprium, sensibile commune et sensibile per accidens.

1° Sensibile *proprium* illud est quod singuli sensus primario et per se percipiunt, scilicet per primum actum et sine auxilio alicujus intermedii; antea enumeravimus sensibilia propria quinque sensuum externorum (182, 3°).

2° Sensibile *commune* dicitur quod a pluribus sensibus attingi potest, sed non primario, licet *per se* illud sensibile ab illis sensibus percipiatur v. gr. : Magnitudo alicujus objecti percipi potest per visum et per tactum; sed visus non percipit magnitudinem nisi sub ratione colorati, unde primario percipit coloratum et *secundario* tantum magnitudinem. Verumtamen visus percipit magnitudinem per se, non autem per aliquid a magnitudine distinctum, quamobrem sensibile commune percipitur, ut dicunt Scholastici, *per se, sed non primo*.

3° Sensibile *per accidens (a)* est ipsa substantia quæ a sensibus attingitur, mediantibus suis qualitatibus. Illud sensibile non est id quod primario attingunt sensus; illud enim objectum primarium sunt qualitates externæ hujus substantiæ. Præterea non potest percipi substantia nisi per hujusmodi qualitates, unde non percipitur per se. Exinde dimanat modus loquendi veterum, qui dicunt sensibile per accidens a sensibus *nec primo nec per se* percipi.

§ II. An sensus externi sint veraces?

Nota. Nunc ad veracitatem sensuum externorum comprobandam aggredimur. Sensatio sub duplici respectu

(a) D. Thom. lib. II. *De anima*. lect. XIII. qq. disp. *De Veritate* qu. I, art. XI.

considerari potest, nimirum, 1° ut est subjecti affectio, 2° ut est objecti externi repræsentatio.

184. — Thesis I. *Sensatio, sub primo respectu considerata, non est falsitati obnoxia.*

Constat ex antea dictis de sensu intimo.

1° Impossibile est enim ut subjectum non habeat affectionem quam sentit, nam secus sentiret et non sentiret.

2° Affectio illa quam sensus refert, non potest esse diversa ab ea quam sentit; nam referre sensationem idem est ac percipere impressionem, et sentire est experiri affectionem. Ergo in hac etiam hypothesi simul sentiret et non sentiret.

Igitur sensatio, prout est subjecti affectio, non potest dici falsitati obnoxia, quin evertatur principium contradictionis.

Sub secundo respectu, scilicet quando sensatio consideratur ut est objecti externi repræsentatio, quæremus utrum in ea reperiri possit falsitas.

185. — Thesis II. *Sensus externi, in debitis conditionibus operantes, falli nequeunt quoad perceptionem sensibilis proprii.*

Nota. In hac thesi, 1° sensus *sani* subaudiuntur, seu in statu suo normali; sensoria igitur nullo vitio laborare debent.

2° Sensus ut *apte dispositi* ad ipsam sensationem recipiendam concipiuntur: nam aliquando sensus etiam sani possunt ob anteactas impressiones immutari : v. gr. oculi in tali colore diu defixi, aliis objectis aliquando hunc colorem tribuunt.

3° Debent *recte applicari*, nempe in debita proportione distantiæ, magnitudinis et motus.

4° Medium subauditur idoneum ad communicationem inter objecta et sensus.

Probatur. 1° Esset falsitas in sensu si repræsentatio sensilis non qualitatem perceptam repræsentaret, sed aliquid ab ipsa diversum. Atqui hoc est impossibile :

Nam ex una parte sensu impressionem receptam mutare nequeunt, ut constat ex antea dictis (184); impressionem enim subeunt et non faciunt. Et ex altera impressio facta a corpore, quod nos afficit, nihil est aliud quam qualitas ipsa non absolute spectata, sed relative, seu quatenus sensus percellit.

Ergo impossibile est ut falsitas sit in sensu.

Probatur. 2° Si sensus nos deciperent, Deus auctor naturæ esset mendax. Atqui falsum consequens. Ergo et antecedens.

Probatur major. Deus sensus nobis dedit tanquam unica media cognoscendi objecta exteriora; nihil enim aliud sunt quam facultates percipiendi corpora a nobis distincta. Atqui si sensus ad hunc finem essent inepti, seu reapse objecta exteriora non attingerent, dici non possent media cognoscendi exteriora objecta. Ergo a Deo, auctore naturæ, darentur pro eo quod non sunt, ac proinde Deus esset aut mendax aut impar suo muneri creatoris.

Confirmatur 3° ex eo quod homines nihil certius habent quam quod sensibus suis usurpaverint.

186. — *Corollarium.* Ex enucleatis concludimus contra Idealistas qui, objicientes sensationes esse mere subjectivas adeoque puras illusiones, negant ulla esse corpora, sed affirmant corporum species tantum obversari. Quid, in eorum sensu, veniat per has species? Non consentiunt etiam Idealistæ *dogmatici*. Duplex enim idealismus, alius *scepticus*, de quo postea, dum agemus de scepticismo; alter *dogmaticus*, qui etiam duplex est. Unus dicitur *subjectivus* qui affirmat corporum repræsentationes ab ipsa mente produci : ita Fichte. Alter idealismus, qui nuncupatur *objectivus*, putat phænomena corporum a Deo ipso produci in anima : defensor hujus idealismi fuit Berkeley, post Malebranchium et Cartesium. Argumenta secundæ thesis vim habent contra utrumque, qui etiam impingit in manifestum absurdum : prior supponit quod repræsentationes sensibiles possunt produci et sustentari a principio mere spirituali, absque concursu objecti materialis; posterior arbitratur Deum constanti lege producere repræsentationes sensibiles, quibus nullum responderet objectum, et sic reddere errorem necessarium. At de idealismo opportunius in psychologia agemus, cum hic agatur tantum de veracitate sensuum

ARTICULUS III.

De intelligentia (a).

187. — Thesis. *Præter facultates sentiendi, quarum veracitatem comprobavimus, homo facultate superiore ornatur qua percipit intelligibilia.*

Probatur. 1° Constat enim experientia nos habere quasdam rerum immaterialium notiones quæ ad sensus referri nequeunt. Habemus, v. gr., notionem Dei, angelorum, etc., quæ sensibus non percipiuntur.

2° Præterea eodem modo constat in rebus materialibus nos cognoscere non tantummodo phænomena, seu accidentia externa quatenus nos afficiunt, sed etiam essentiam intimam, seu res ipsas quoad se. Experientia enim scimus, v. g., nos non tantummodo percipere hanc arborem particularem, hunc hominem Petrum, etc., ut nos afficiunt, sed etiam nos conceptum habere arboris generatim sumptæ, et hominis *in genere*, etc., ita ut hi conceptus, cum eadem veritate, prædicari possint de omnibus arboribus, de omnibus hominibus, etc. absolute sumptis. Igitur hi conceptus, cum de omnibus individuis ejusdem speciei dici possint, sunt *universales* (35, 48). Ergo, præter sensus, facultatem habemus cujus objectum proprium est universale.

Hæc facultas nuncupatur *intelligentia.*

3° Homo potest etiam judicare et ratiocinari. Istæ autem operationes effici nequeunt per sensus, quia aliquam important *abstractionem*, quæ in eo consistit ut notio aliqua consideretur independenter a subjecto cui inest. Atqui sensus nonnisi concreta potest cognoscere, ac proinde nunquam valet ad efformanda judicia et ratiocinia. Igitur indubium est quod ab auctore naturæ donati sumus facultate aliqua percipiendi illa objecta, quæ sensus assequi non possunt.

188. — Ex dictis (187) constat facultatem hanc varia habere munera. Potest simplici intuitu veritatem aliquam percipere, quod dicitur *intelligere;* præterea potest ex uno conceptu veritatis ad alium procedere, quod dicitur *ratiocinari.*

(a) D. Thom. p. I qu. XVII, art. 3 ad 2; qu. 82 a. 2; qq. disp. *de Veritate* qu. 15, art. 1.

Prout facultas intelligendi primo munere fungitur, nempe simplici intuitu percipit veritatem, nuncupatur *intellectus*; prout ab una veritate percepta ad aliam pergit, dicitur *ratio*. Hinc ratio nihil est aliud quam ipse intellectus, quatenus munere fungitur deveniendi in novam cognitionem ope alterius jam habitæ. Ratiocinari ergo et intelligere differunt sicut moveri et quiescere, ac proinde non sunt duæ facultates diversæ, sed duplex munus ejusdem facultatis.

§ I. De intellectu.

189. — Intellectus, prout a ratione distinguitur, nempe quatenus simplici intuitu percipit veritatem, duplicem exercet actum, scilicet :

1° Simpliciter apprehendit, seu efformat ideas,

2° Immediate percipit nexum quarumdam idearum, seu efformat judicia immediata.

190. — Sed hic sedulo distinguenda sunt judicia immediata a judiciis mediatis (58).

1° Judicia *mediata* sunt objectum *rationis*, non vero intellectus, atque eruuntur per ratiocinium ex aliis judiciis præviis, quæ sunt veluti causa, quæ secundum suam perfectionem spectata debet in se continere effectum Hujus generis sunt omnia principia demonstrabilia. Mens non potest horum judiciorum nexum contueri nisi ope aliorum judiciorum (58).

2° Judicia *immediata* illa sunt quæ prævia alia non subaudiunt judicia, sed solum simplices apprehensiones : v. g. totum est majus sua parte; veritas hujus judicii statim apparet atque idea totius et idea partis menti obversantur. Judicia immediata objectum proprium *intellectus* (58) constituunt. In istis judiciis, quæ ex ipsis terminis perceptis intelliguntur, objectum quod cognoscitur, est etiam reipsa objectum formale *sub quo* illud cognoscitur; et propterea dicuntur veritates *per se* notæ.

191. — Judicia *a priori* (57), utpote a sola idearum abstractarum consideratione emergentia, sunt *necessaria*, quia ideæ quæ eorum constituunt materiam, sunt independentes ab omni ratione temporis et mutationis : v. gr. idea *totius* et *partis* sunt *in se* immutabiles et universales : unde judicia ipsa sunt universalia et necessaria. Judicia *a posteriori* (57, 2°) versantur circa facta con-

tingentia, ac proinde eorum materia est contingens et mutabilis. Hinc judicia ipsa sunt *contingentia et particularia.*

Veracitas intellectus demonstrari debet quoad hunc duplicem actum, quem exercet.

192. — Thesis I. *Intellectus, dum simplices efformat conceptus, per se non est falsitati obnoxius* (159).

Probatur. Intellectus esset falsitati obnoxius, si conceptus quem efformat, proprio objecto absimilis esse posset. Atqui id sine absurditate affirmari nequit. Ergo simplex intellectus apprehensio per se falsitatem in intellectum inducere nequit.

Major est per se evidens.

Probatur minor. Intellectus exprimit in se similitudinem objecti quod percipit, vel non. Atqui, si primum, nulla falsitas; si secundum, falso diceretur mentem illud objectum percipere, siquidem percipere objectum idem est ac illud in mente exprimere. Ergo intellectus non potest esse fallax quin simul percipiat et non percipiat.

Si diceretur intellectum, dum unum objectum percipit, alterius similitudinem exprimere, hoc etiam manifestam importaret contradictionem. Nam percipere est aliquid intellectualiter exprimere, unde illud tantum percipitur, cujus idea exprimitur. Ergo in data hypothesi *perciperet quod non percipit.*

193. — Thesis II. *Intellectus etiam in suis judiciis falli nequit.*

Probatur. Intellectus in judiciis immediatis esset fallax, si aliquid proferret quod non est in objecto. Atqui id impossibile est. Ergo intellectus in judiciis immediatis proferendis fallax esse nequit.

Minor est probanda quoad duplex genus judiciorum immediatorum.

1ª *Pars.* Quoad judicia *analytica* seu rationalia, *falsitas est impossibilis.*

Nota. In his judiciis, ut antea diximus (57), prædicatum est de ratione subjecti, et ideo dum illud subjectum cognoscitur, ejus prædicatum mentem latere nequit.

Probatur 1ª *pars minoris.* Hæc judicia affirmant simpliciter prædicatum in subjecto contineri, seu esse de atione subjecti, v. g. in axiomate : *totum est majus sua*

parte, affirmatur *partem* esse elementum subjecti *totum*. Atqui si in hoc actu esset deceptio, ille error necessario refunderetur in simplicem apprehensionem subjecti; nam mens judicans nullum affert elementum extraneum, nihil addit materiæ quam præbet simplex apprehensio. Ergo nulla falsitas in his judiciis, nisi ipsa simplex apprehensio sit deceptrix, seu facultas suapte natura ad falsum sit ordinata.

Probatur 2ª *pars minoris*, nempe intellectum esse veracem in judiciis syntheticis proferendis.

Munus intellectus in judiciis a posteriori in eo sistit ut *distincte* contueatur quod reperitur in perceptione sensibili, quæ est materia judicii. Atqui *distincta intuitio* hujus materiæ nullum affert elementum objectivum, sed solum in hac materia percipit quod in ea est. Ergo nullus error possibilis in mente ita judicante, nisi intellectus rem aliquam distincte percipere non valeat, seu nisi natura sua non sit facultas idonea ad cognoscendum id quod est.

Revera in hoc judicio a posteriori : sol illuminat, seu, sol est illuminans. materia hujus judicii, quam præbent sensus externi, est *sol cum sua luce;* sensus enim percipiunt solem non seorsim, sed solem simul et ejus lucem. Intellectus percipit in hac intuitione sensibili solem tanquam distinctum a sua luce, et affirmat solummodo *lucem ad solem pertinere*, ac proinde simpliciter asseverat de facto id quod est in facto. Ergo si esset deceptio, deceptio hæc refunderetur sive in sensibilem perceptionem quæ suppeditat materiam sive in absolutam intellectus incapacitatem cognoscendi id quod est.

Ex probatis generatim concludere possumus intellectum esse veracem, sive in judiciis analyticis, sive in judiciis syntheticis.

§ II. De ratione.

194. — Quoad veritates quæ nec sensu, nec idearum consideratione immediate nobis patent, ratiocinio uti debemus ut eas deprehendere valeamus. Munus ergo rationis est detegere veritates illas quæ non sunt simplices apprehensiones, neque judicia immediata sive analytica sive synthetica. Officium illud rationis verum inquirentis est *ratiocinari*.

Porro ut ad ratiocinandum deveniamus, quædam sunt *prænoscenda*, siquidem ratiocinatio est transitus quidam a noto ad ignotum. Hæc nota seu hæc præcognita sunt :

1° Subjectum et prædicatum conclusionis quorum nexum inquirimus;

2° Præmissæ seu principia quæ præmissas constituunt. Etenim quærere non possumus relationem subjecti et prædicati quominus aliquam saltem *utriusque cognitionem* habeamus. Præterea principia, quorum adminiculo hanc relationem detegimus, sunt etiam prævia in cognitione respectu ejusdem relationis, ad cujus manifestationem concurrunt tanquam media.

Igitur ratiocinium quasdam prænotiones requirit.

195. — Jamvero hæc principia præcognita esse possunt judicia immediata, sive analytica, sive synthetica, atque ratione horum judiciorum, quæ præmissas constituunt, ratiocinium dicitur purum, empiricum aut mixtum :

1° Si præmissæ constant duobus judiciis a priori, ratiocinium dicitur *purum*, utpote coalescens puris ideis.

2° Si ambæ præmissæ sunt judicia a posteriori, seu empirica, ratiocinium ipsum erit *empiricum*.

3° Denique si præmissæ conflantur una ex judicio puro, altera ex empirico, ratiocinium est *mixtum*.

Nunc de veracitate ratiocinii generatim inspecti.

196. — Thesis I. *Ratiocinium, præmissis veris constans et ad legitimam formam exactum, falsum esse nequit.*

Probatur. Conclusio in præmissis continetur, si ratiocinium sit formaliter rectum. Ergo impossibile est ut conclusio sit falsa, si præmissæ sunt veræ. Alias omnis veritas syllogistica demonstratur per axioma : *quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se;* quare conclusio nequit esse minus vera, ac ipsum axioma.

197. — Thesis II *Mens præmissis assentiens, conclusioni assentire debet* (1).

Probatur. Mens præmissis assentiens, implicite affirmavit conclusionem in ipsis contentam. Ergo si explicite

(1) Positis præmissis, intellectus necessitatur ad eliciendam conclusionem necessitate specificationis : An etiam necessitate exercitii? Disputant scholastici. Vide D. Thom. 1a p. q. 82, a. 2; de Rhodes, disp. 4, § III, negat. Hic autem non disputamus de hac necessitate, sed tantum de veritate ac specificatione mentis conclusioni assentientis.

affirmare hanc conclusionem detrectaret ex præmissis manantem, sibi aperte contradiceret. Itaque impossibile est quod mens conclusioni non det assensum, seu ut mens positive dissentiat, dum semel præmissas affirmavit.

198. — *Scholium*. Hac necessitate assentiendi conclusioni non premitur mens nisi certo teneat 1° præmissas esse veras, 2° deductionem esse legitimam : nam hæc duo requiruntur ut veritas conclusionis evidens fiat. Igitur ratiocinium *per se* non fallit.

Verumtamen mens in deducendis illationibus falli potest *per accidens*. Id enim accidit ex defectu sufficientis attentionis sive circa veritatem præmissarum, sive circa ordinem deductionum. Sed in præsenti non agitur de erroribus qui ex *inconsideratione mentis* deveniunt, sed tantummodo quærimus quid absolute loquendo ratio valeat ad verum acquirendum.

ARTICULUS IV.

De auctoritate.

199. — Sunt quædam veritates, aliæ ad ordinem experimentalem, aliæ ad ordinem dogmaticum pertinentes, quæ a nobis percipi nequeunt, sive per intelligentiam, siquidem agitur de factis aut de veritatibus supernaturalibus, sive per sensum, propter locorum dissociationem aut temporis lapsum. Ut ad cognitionem harum veritatum deveniamus, habemus *testimonium* quod propterea, non secus ac sensus et intelligentia, quoddam constituit *medium* veritatis assequendæ.

Per *testimonium* intelligitur *illa declaratio qua testis refert rem sibi notam.*

Testis, ille est qui propriam cognitionem alteri significat.

Fides est *assensus quem alterius testimonio præstamus.*

Auctoritas est *id quod testi fidem conciliat.*

200. — Testimonium 1°, ratione subjecti loquentis spectatum, est vel *divinum* vel *humanum*, prout Deus vel homo nos docet.

Testimonium divinum gignit fidem divinam, dum testimonium humanum fidem humanam parit.

2° Ratione materiæ, testimonium dividitur in dogmaticum et historicum.

Dogmaticum dicitur, quando *ejus materia est dogma*, seu veritas aut doctrina.

Historica nuncupatur illa testificatio *cujus objectum est factum*, seu id quod sensu testis cognovit.

Verumtamen quodlibet testimonium sive dogmaticum sive historicum affert cognitionem, non scientificam, sed *historicam* tantum; nam docet *rem esse*, non autem, *cur sit*; fidem duntaxat gignit, et idcirco fides opponitur scientiæ.

Testimonium dicitur *authenticum*, quando omnem prudentem erroris formidinem excludit, seu ita se prodit ut non possit non referre rem, ut est in se.

201. — Auctoritas potest inspici 1° in testimonio eorum qui propriis sensibus facti experientiam ceperunt : hi testes *immediati* sive *oculati* dicuntur.

2° Potest considerari auctoritas testimonii eorum qui notitiam factorum a testibus immediatis acceperunt : hi testes dicuntur *mediati* sive *auriti*. Testes mediati nominantur *coævi*, quando tempore quo factum contigit, vixerunt; *suppares*, si proximo, *remoti*, si tardiori.

Agemus 1° de testimonio testium oculatorum, seu de vi testimonii generatim sumpti, et postea de testimonio testium mediatorum sive scripto sive orali.

§ I. De testimonio immediato.

Quoad testimonium, consideranda est 1° ejus necessitas, quatenus ipsum est medium assequendæ veritatis, et 2° ejus auctoritas, ut fons certitudinis.

I. De necessitate testimonii.

Testimonium potest versari 1° circa dogmata, nempe circa quasdam propositiones scientificas, 2° circa facta seu eventus, et sub utroque respectu ejus necessitatem vindicabimus.

202. — Thesis I. *Testimonium dogmaticum aliquando est, moraliter loquendo, unicum medium cognoscendi veritates quasdam necessarias vel admodum utiles.*

Probatur. Rudes et indocti ad multas veritates scitu utiles, imo necessarias ad usum vitæ tum physicæ tum

moralis, per se devenire nequeunt, sive ex defectu mediorum, temporis, etc., sive ob ingenii limitationem. Ergo unicum eis superest medium eas sibi comparandi, id est, fides in testimonium peritorum.

Et illud argumentum pro *omnibus hominibus* valet, qui semper in aliquibus sunt rudes et indocti; nemo enim potest omnes scientias sibi comparare, ac proinde quoad quasdam veritates quivis fidem peritis adhibere debet : v. g. Jurisconsulti, medico; theologus, astronomo, etc. Hinc fides dogmatica in pluribus est omnibus necessaria.

203. — Thesis II. *Testimonium historicum est homini prorsus necessarium.*

Probatur. Nonnisi hujus testimonii adminiculo cognoscere possumus 1° facta præteritorum temporum, 2° ipsa facta coæva quæ in remotis regionibus eveniunt, 3° multas veritates experimentales, ex eis etiam quæ scitu sunt necessariæ ad vitam servandam, v. g. idoneitas ciborum et potuum, etc. Infantes nihil nisi per testimonium cognoscere queunt.

Igitur necessarium est ut testimonio humano sive dogmatico sive historico fidem in pluribus adhibeamus, et idcirco illud testimonium est medium aliquod cognoscendi prorsus necessarium.

II. De veracitate testimonii immediati (*a*).

204. — Ut testimonium nos impellere valeat ad assensum, requiritur ut nobis constet testes 1° scientiam certam habere et 2° esse veraces.

Istæ conditiones requiruntur ut testis auctoritas fidem imponere valeat. Auctoritas enim est *jus aliquid imponendi*. Porro jus fidem imponendi esse nequit in teste qui *scientia certa et veracitate* non ornaretur, seu verum non certe referret. Quo magis aut minus testes recederent ab his conditionibus, eo etiam magis aut minus jus fidem imponendi amitterent.

Fides, ut antea diximus, est vel divina vel humana (201).

1° Auctoritas, quæ fidem divinam imponit, est Deus ipse, qui non potest decipi aut decipere, unde testis ille

(a) Vide D. Thom. in lib. *De divinis nominibus*, cap. I. lect. I.

fidem imponens, in summo gradu scientia et veracitate ornatur, et idcirco ejus testimonium gignit certitudinem qualibet certitudine humana majorem (173). Sed prætermissa fide supernaturali, de qua tractant theologi, agemus simpliciter de testimonii humani auctoritate.

2° Testimonium humanum auctoritate ad fidem faciendam non semper pollet, nam homo potest decipi et decipere :

205. — Testimonium dogmaticum *per se* nunquam aut fere nunquam firmam fidem gignere valet, licet esse possit motivum sufficiens ad assensum prudenter adhibendum.

1° Si agitur de homine apprime versato in aliqua disciplina, et cæteroquin probitate noto, ejus testimonium, licet non infallibile, est tamen gravis ponderis.

2° Si ageretur de pluribus scientia et probitate conspicuis, qui idem ferunt testimonium, istud erit tanto probabilius.

3° Tandem si in aliquam sententiam periti omnes uniformiter convenirent, eorum testimonium haberet maximam auctoritatem.

Verumtamen illud etiam testimonium, saltem in quacumque materia, non est infallibile, ut constat v. g. ex errore communi de motu solis circa terram, et telluris immobilitate in centro mundi, etc.

Diximus *in quacumque materia*, nam quoad veritates obvias, illud testimonium omnimodam fidem gignere posset.

206. — Sed testimonium historicum præsertim considerare debemus, utpote strictius constituens illum fontem veritatis diversum ab aliis tribus quos perpendimus. Illud testimonium aliquando certitudinem proprie dictam gignit, aliquando meram probabilitatem.

In sequentibus thesibus agemus 1° de auctoritate non plena, 2° de auctoritate plena.

207. — Thesis I. *Testimonium humanum, etiamsi non plenam habeat auctoritatem, in vitæ usura est prudens norma agendi et judicandi.*

Probatur. Illud 1° quod plerumque non fallit, et 2° est omnino necessarium homini, haberi debet tanquam

norma in vitæ usura. Atqui hujusmodi est auctoritas etiam non plena. Ergo hæc auctoritas tanquam norma in ordinariis vitæ operationibus haberi debet.

Probatur minor quoad 1-m *partem.* 1 Auctoritatem plerumque non fallere, constat experientia et ratione. Etenim 1. experientia propria sæpenumero comprobamus veritatem rei narratæ. 2. Ratio docet hominem natura sua inclinari ad veritatem testandam, ac proinde non mentiri sine motivo. Porro illud motivum mentiendi gratuito supponi nequit in homine frugi et constanti, in quo est probitas *ordinaria*; neque etiam potest supponi in quolibet homine qui damnum, aut saltem nullum commodum ex mendacio retraheret, ut generatim contingit: in ipso enim est probitas veluti *coacta*. Ergo auctoritas sæpenumero non fallit, ac proinde in rebus vitæ ordinariis testes generatim habent veracitatem.

2a Pars *minoris* fuit antea probata (202-203).

Igitur generatim concludimus fidem auctoritati humanæ, etiamsi non semper omnem suspicionem erroris et deceptionis removeat, esse tamen normam prudentem in judicando et agendo. Est enim *regula perfectior* quæ haberi possit in hisce adjunctis, in quibus tamen nemo a judicando et agendo prorsus cohiberi potest.

208. — Thesis II. *Testimonium historicum, in quibusdam adjunctis, omnem formidinem erroris excludit et gignit certitudinem proprie dictam.*

Probatur. Ut testimonium plenam jure fidem sibi vindicet, requiritur ut constet 1° de scientia certa, et 2° de veriloquio ex parte testium. Atqui aliquando ex adjunctis certissime constat de utroque. Ergo... Major per se constat, nam factum cognoscitur a nobis ut contigit, 1° quando testes non decipiuntur in cognitione hujus facti, seu illud cognoscunt sicuti reapse evenit; atque 2° quando nullum est mendacium in testificatione. Dummodo constet de *scientia* et *veracitate* testium, constat etiam de facto narrato.

Minor duabus partibus coalescit quas ordine adstruemus.

Prob. 1a *pars minoris,* scilicet de *scientia testium* constare posse.

Etenim agitur de facto sensibili. Atqui ut constet de scientia testium respectu ejusmodi facti, sufficit ut certo sciamus 1° sensus eorum fuisse recte dispositos et 2° convenienter adhibitos.

Jamvero 1° si testes sunt multi, impossibile est ut sensus omnium in eodem vitio simul deprehendantur. Præterea, si ageretur de facto quod percipi posset etiam ab iis qui habent sensus aliquo vitio infectos, v. gr., de existentia alicujus civitatis, multo minus esset periculum erroris.

2° Dubitare etiam non possumus quin sensus diligenter adhibeantur, si agitur de facto publico et illustri quod fragose spargatur, et vivide feriat animos contuentium.

Insuper si inter testes essent homines prudentia et solertia præstantes, qui ad rem inquirendam gravissimis motivis incitarentur, magis removeretur periculum deceptionis.

Igitur in hisce adjunctis impossibile est ut sensus non sint sufficienter dispositi et convenienter adhibiti ad scientiam facti acquirendam : v. gr., si quis dubitaret de existentia Romæ vel Londini ex eo quod testes, qui factum narrant, possunt decipi, ille ut insipiens merito haberetur. Hinc aliquando circumstantiæ sunt tales, ut omnem formidinem deceptionis in testibus plene removeant.

Prob. 2ª *pars minoris*, scilicet aliquando *certe constare posse de testium veriloquio*. Etenim si testes 1° sunt multi ætate, natione, ingenio, studiis, moribus, etc., diversi, et tamen 2° eorum testimonium sit constans et uniforme, istud tanquam verum haberi debet. Ut esset deceptio in testimonio, requireretur consensus omnium testium in aliquo uniformi mendacio. Atqui in hisce adjunctis uniformitas in mentiendo est moraliter impossibilis, siquidem

1° Homo non potest ut mendax haberi, quin saltem sit pro illo aliqua utilitas in mentiendo : nemo gratis est malus. Jamvero in hac multitudine testium, impossibile est ut testes *eadem cupiditate* moveantur in mentiendo; nam ex hypothesi nonnulli, non emolumentum, sed damnum ex mendacio retraherent.

2° Præterea *concordia* esset etiam impossibilis, quia

inter testes nonnulli certo invenirentur qui impudenter mentiri noluissent, aut saltem constanter et uniformiter mentiri non potuissent.

Ergo 1° omnes testes non potuerunt in idem mendacium convenire eodem bono illecti, et 2°, etiamsi pactum illud subaudiretur, non potuissent ita concorditer testificari ut nemo audientium fraudem detegere valeat.

Ergo testimonium historicum aliquando ita evadit certum ut fidem plenam faciat.

209. — Aliquando testes pauci sufficiunt ad plenam fidem faciendam, quando scilicet factum enarrant coram iis qui 1° aliunde illud factum cognoscere possunt, 2° de tali facto aliquid timerent, 3° pœnis et tormentis mendaces compellere valent.

In hac enim hypothesi indubie constat de veriloquio; nam 1° nulla spes alios decipiendi testes manet, qui 2° tuto mentiri nequeunt, et exinde nulla cupiditate adduci potuerunt ad contumaciter mentiendum. In hisce adjunctis constat de veracitate.

De scientia certa cæteroquin constare potest ex natura facti : si agitur, v. g., de occisione alicujus hominis, de combustione alicujus civitatis, etc.

210. — *Scholium.* Illud testimonium gignit certitudinem moralem (170), quæ in moribus hominum nititur; nam veritas testimonii illius fundatur in constantia legum moralium; licet physice possibile sit ut homines in hisce adjunctis aliter operentur, est tamen *moraliter* impossibile ut aliter agant.

Leges illæ morales quibus fulcitur testimonium historicum, sunt sequentes :

I^a Lex. *Homo naturaliter verum appetit*, et hæc lex respicit scientiam. Itaque quando veri inquisitio non est laboriosa, nec ejus apprehensio incommoda, homo illud amplectitur.

II^a Lex. *Homo nonnisi amore boni (sive realis sive præsumpti) ad operandum et appetendum impellitur.* Unde non mentitur sine causa, id est, sine aliqua utilitate in mendacio quæsita.

Hinc ut testimonium sit falsum, requiritur ut sit obex quo impediatur cognitio, vel ut sit aliquod bonum mendacio obtinendum.

211. — *De testimonio totius generis humani.* — *De sensu naturæ communi.* Hactenus consideravimus testimonium quorumdam testium, quod non modo est peculiare medium cognoscendi, verum etiam in superius determinatis adjunctis (208) constituit criterium externum veritatis. Adde huc quod potest etiam considerari testimonium omnium hominum, qui aliquando in unam conveniunt sententiam, sive circa factum quoddam elapsum, sive circa veritatem aliquam. Omisso nunc testimonio primi generis quod non distinguitur a traditione, considerare oportet testimonium generis humani quando est dogmaticum : hoc proprie dicitur *consensus communis.* Per consensum illum, non intelligitur universalitas physica, sed universalitas moralis; hæc enim sufficit ut consensus dicatur et sit vere communis, cum nunquam deficiant homines in quibus natura est adeo depravata ut non valeant veritatem etiam obviam deprehendere. Circa hunc consensum communem quæri potest utrum semper et in omnibus infallibilem sibi vindicet auctoritatem.

212. — Thesis III. *Consensus communis non semper et in omnibus est auctoritas infallibilis.*

Constat ex facto. Nam plures sunt errores ad ordinem dogmaticum pertinentes quos perdiu omnes homines professi sunt : v. g. motus solis circa terram; omen infaustum cometarum, etc. Ergo...

Sch. Verum hi errores, ut tales, non sunt judicia communia proprie dicta : homines stricte non consentiunt in *id affirmandum*, quod reapse est erroneum, sed in aliquid complexum quod involvit aliquam falsitatem.

213. — Thesis IV. *Judicia vere communia, quæ a sensu communi dimanant, nequeunt esse falsa.*

Nota. Hic agitur, non de aliquo dogmate acutiore et mere speculativo, vel de judicio communi cupiditatibus faventi, quale fuit, v. g. error polytheismi, sed de hisce judiciis practicis quæ gaudent universalitate, diuturnitate, constantia, quibus nulla causa particularis assignari potest, et quæ sunt de objecto societati humanæ necessario; secus aliter dicendum esset.

Probatur. Hæc judicia a natura rationali proficiscuntur prout ipsa, non in uno individuo, sed in tota humanitate sese explicat. Atqui natura rationalis, prout est in omnibus, fallax esse nequit. Ergo hæc judicia falsa esse nequeunt.

Probatur major, nempe *hæc judicia a natura ipsa ortum derivare.*

Hæc judicia quæ ab omnibus hominibus proferuntur, sunt universalis, permanens, uniformis effectus ordinis naturalis. Atqui nulla causa sufficiens hujus effectus potest inveniri, nisi in natura, quæ est constans, uniformis et eadem in omnibus. Ergo...

Minor est certa, et præterea abunde constat ex antea dictis de necessaria rectitudine naturæ et facultatum (179, 180, etc.)

214. — Vis qua natura rationalis efformat hæc judicia, dicitur *sensus naturæ communis*, qui non est facultas cæca et instinctiva, diversa ab intellectu et ratione, ut volunt Reid et eclectidi, sed est ipsa intelligentia prout sine artis præsidio, generatim et sponte sese evolvit, non in uno tantum individuo, sed in ipsa humanitate.

215. — Quædam tamen judicia communia a primitiva traditione repeti possunt, qua multæ veritates altiores omnibus populis, utcumque rudibus, aliquo modo innotuerunt.

§ II. De testimonio mediato seu de historia et traditione.

216. — Hucusque consideravimus testes immediatos. Nunc de testibus mediatis speciatim agendum est, quibus testimonium aliquod ad disjunctos intervallo locorum et temporum homines defertur. Hæc translatio fieri potest, sive 1° per *traditionem*, nempe per aliquam testium mediatorum seriem ore rem transmittentium, sive 2° per enarrationem factorum scriptis commendatam, nempe per *historiam.*

I. De traditione.

217. — Traditio, quæ, juxta vim vocabuli, significat transmissionem veluti de manu in manum, sumi potest in sensu objectivo, nempe pro re ipsa tradita, vel subjective. In hoc ultimo sensu traditio definiri potest : *testium continuata successio memoriam facti non scriptis,*

sed ore transmittentium. Traditio indubiam parere potest fidem, si omnes habeat illas conditiones quæ requiruntur ad testimonium humanum, ut omnino certum et omni exceptione majus evadat.

Quando ex circumstantiis constat testes non fuisse *deceptos* neque *deceptores*, narratio facti incolumis seu integra ad nos pervenit.

218. — Ut traditio haberi possit tanquam fons cognitionis certæ, quasdam sibi vindicare debet conditiones quæ omnem formidinem erroris removeant :

I. Ex parte *traditionis ipsius* requiritur ut sit ampla, uniformis et constans.

1° *Ampla*. Ampla erit si pluribus semper testibus coaluerit qui commune mendacium pacisci non potuerunt. Porro si est diversitas, imo oppositio inter testes, si nullum commercium inter se habuerunt, fœdere inter se certo non adstringuntur ut uniformiter mentiantur. Præterea ex amplitudine traditionis constabit etiam de veritate cognitionis quam testes habent de facto; impossibile enim est ut multi testes eodem modo mutentur, aut prave audiant narrationem testium oculatorum.

2° *Uniformis*. Uniformitas, saltem quoad facti substantiam et præcipua adjuncta, probat primam cognitionem esse *veram*, ejusque transmissionem esse *sinceram*.

Hæc uniformitas requiritur, non in uno tempore particulari, sed in omnibus temporibus; unde traditio

3° Debet esse *constans :* si enim esset interruptio, ita ut aliquo tempore in nihilum abeat, et postea resumatur, non amplius haberemus certitudinem facti enarrati; regredi non possemus ad ipsum fontem traditionis, nempe ad testes oculatos.

II. Ex *parte facti* requiritur ut traditio sit *illustris*, nempe ut ejus objectum publicum sit et notorium, ita ut ad attentionem plurium excitandam polleat, et propterea a pluribus semper cognosci potuerit.

219. — Traditio Ecclesiæ omnes has dotes sibi vindicat, ac proinde præ se fert characteres certitudinis humanæ : amplissima semper fuit, nempe innumeris semper testibus constare visa est, quorum multi inter se nullam communicationem habuerunt. Est uniformis et

constans, ita ut inter testes remotissimos ratione temporis et loci nulla sit diversitas.

Præterea versatur circa factum illustre, attentionem excitans, nemini indifferens, siquidem agitur de eventu qui pro omnibus erit fons salutis perpetuæ aut æternæ damnationis. Igitur, traditio Ecclesiæ, etiamsi divinis promissionibus orbaretur veracitatis, semper haberi deberet ut maxima gaudens certitudine humana.

220. — Monumenta optimam afferunt confirmationem traditionis, sicut et historiæ. Per *monumentum* intelligitur opus aliquod artis ad facti memoriam testandam elaboratum, v. gr., numismata, inscriptiones, picturæ, ædificia, etc.

II. De historia.

221. — Historia est etiam aliquod medium peculiare cognoscendi facta, quæ secus propter temporis lapsum ignorarentur, et idcirco simul cum traditione aliquod exhibet testimonium testium mediatorum. Historici tamen esse possunt testes oculati factorum quæ narrant; sed hic narratus pro legentibus est semper aliquod testimonium mediatum, siquidem instrumentum seu codicem nonnisi opera aliorum excepimus.

222. — Ut historia tanquam testimonium certum haberi possit, requiritur,

1° Ut sit *vera;*

2° Ut non sit *interpolata.*

Etenim certitudo testimonii historici expostulat ut sit veritas in prima facti enarratione, nempe ut scriptor verum dixerit, seu scientia et probitate ornatus fuerit. Sed requiritur præterea incolumis transmissio ejus testimonii.

223. — Ut constet de veracitate *testimonii primordialis*, plures iterum conditiones requiruntur sive ex parte *rei narratæ* sive ex parte *narrantis.*

1° Res quæ narratur non debet esse intrinsecus impossibilis, neque aliis factis certis contradicere. Si adjuncta rei quæ in se est absolute possibilis, sibi invicem repugnarent, suspicio etiam esset de ipsius testimonii falsitate.

Rationalistæ recentiores tanquam res intrinsecus impossibiles habent miracula et omnia facta supernatura-

lia, et ideo ut *symbolicam* seu *mythicam* rejiciunt historiam seu narrationem illorum factorum; sed evidens est illam prætensam impossibilitatem venire ex præassumpto systemate quod negat a priori ordinem supernaturalem.

2° Quoad *narrantis qualitatem*, requiritur ut historicus scientiam sufficientem habeat rerum de quibus scribit, et præterea sit probitate exornatus.

Scientia et veracitas scriptoris determinantur ex adjunctis : Igitur si testis se ubique gravem, probum, veritatis amantem exhibeat, si ad notitiam certam rei habendam fuerit idoneus, illi denegari nequit auctoritas. Omnes enim dotes habet quæ ad veracitatem testis suadendum sufficiunt.

224. — Ut constet de veracitate *testimonii actualis*, non sufficit ut compertum sit scriptorem non fuisse deceptum neque deceptorem; requiritur enim insuper ut primordiale testimonium ad nos usque incolume perveniat, nempe ut liber sit authenticus et incorruptus.

1° Dicitur *authenticus*, quando revera *pertinet ad hunc auctorem vel tempus cui adscribitur*. Authenticitas adstrui potest argumentis intrinsecis vel extrinsecis.

Argumentum *intrinsecum* illud est quod ex ipsa indole libri desumitur : v. gr., conferendo stylum, doctrinam, sententias, etc. libri, sive cum indole, moribus, opinionibus, etc. ipsius auctoris aliunde cognitis, sive cum ratione scribendi temporis quo ipsum auctor scripsisse perhibetur.

Argumentum *extrinsecum* illud est quod desumitur sive ex testimoniis coævorum, sive ex aliqua traditione certa, sive ex quibusdam monumentis nomen auctoris et operis referentibus, etc. Liber qui non est *authenticus* seu *genuinus*, dicitur *suppositus* aut *spurius*.

2° Dicitur *incorruptus*, quando ei nihil est additum et nihil detractum; secus diceretur *interpolatus* aut *mutilatus*, et generatim *corruptus*. Integritas comprobatur per collationem variorum codicum, quando deest autographus certe authenticus. Si plures existant codices apprime conformes, hæc conformitas fontem omnium esse communem demonstrat.

Sed fons plurium potest esse communis quominus ipsius stirps sit verus autographus. Possumus enim dis-

tinguere 1° fontem *immediatum* codicum, quos habemus, 2° fontes *mediatos* ex quibus hi fontes immediati exordium ducunt, et tandem 3° fontem *primarium*, seu ipsum opus auctoris manu propria aut aliena conscriptum.

Si igitur certo constaret codicum conformium genesim ita esse ut sint codicum series quæ nullum fontem *communem* habeant nisi *primarium*, liber ut interpolatus haberi non posset : conformitas cum ipso auctoris opere evaderet indubia.

225. — Methodus bene judicandi de authenticitate et integritate librorum dicitur ars *critica*, a verbo græco κρίνω, *judico*.

Ars vero *hermeneutica* artem denotat verum librorum sensum determinandi; vox hermeneutica ab ἑρμηνεύω, *interpretor*, eruitur.

ARTICULUS V.

De scepticismo.

226. — Ex enucleatis et probatis circa fontes veritatis, judicium ferre possumus de scepticismo, qui tueri conatur omnia hæc media, vel quædam saltem, imparia esse ad veritatem inveniendam, ac proinde contendit *nihil* posse certo cognosci, seu de omnibus esse dubitandum, vel in omni rerum ordine vel in quodam particulari.

Cum dubium esse possit universale vel particulare, fictitium et hypotheticum, vel reale, definitivum et absolutum, sequitur scepticismum dividi posse :

1° Ratione objecti, in universalem seu Phyrrhonismum, qui fertur circa omnes veritates omniaque media cognoscendi, ac proinde omnem possibilitatem verum inveniendi abjicit; et in particularem, qui medium aliquod particulare cognoscendi inficiatur, unum aut alterum veritatum ordinem incertum esse asseverat.

2° Ratione modi, in absolutum seu realem et hypotheticum seu methodicum : prior est scepticismus proprie dictus seu practica mentis suspensio; secundus vero est dubitatio eos pectans ut veritas secernatur seu cum certitudine inveniatur. Hæc ultima dubitatio nullo

laborat vitio, cum sit tantum quædam methodus qua mens pervenit ad certitudinem scientificam.

3° Tandem Cartesius, existimans certitudinem omnem funditus dimanare ex testimonio conscientiæ, dubium quoddam hypotheticum ac methodicum induxit verum scepticismum redolens. In primo paragrapho agemus de hac dubitatione Cartesiana, quia est simul fictitia seu ad demonstrationem spectans, et realis seu vere sceptica, ac proinde est methodus viam pandens ad realem scepticismum; in secundo, de ipso scepticismo universim sumpto in tertio tandem de veritatibus primitivis et de idearum valore objectivo.

§ 1. De dubitatione Cartesiana

227. — Circa hanc dubitationem methodicam non omnes Philosophi idem judicium ferunt, siquidem alii, uti Rationalistæ, summis laudibus Cartesium extollunt, dum alii, præsertim Traditionalistæ, hanc methodum acriter nimis impugnant. Verum sæpissime contigit ut laudatores et adversarii, ad suum judicium ferendum, non solummodo consideraverint methodum illam in se, verum etiam illum influxum quem habuit Cartesius in Philosophiam et Theologiam. Præterea dum loquuntur speciatim de ejus methodo, non sat animadvertunt Cartesium agere de certitudine philosophica, non autem de naturali, atque dubitationem *scientificam*, potius quam veram et practicam, invexisse.

Ut exaggerationes illas contrarias vitemus, 1° loquemur tantum de methodica dubitatione in se, et 2° expendemus ejus valorem scientificum. Litem igitur non movebimus de mente Cartesii, seu non inquiremus quisnam fuerit scopus hujus auctoris in illo systemate condendo, ac proinde omnes retractationes aut explicationes quæ illum scopum, nempe mentem auctoris aperiunt, ad rem nostram parvi faciunt. Igitur utrum in mente Cartesii dubium invectum fuerit serium aut fictitium, practicum aut speculativum, id ne minimum quidem interest. Quæremus simpliciter an methodus Cartesiana valeat ad certitudinem *philosophicam* generandam?

I. Exponitur dubitatio Cartesiana.

228. — Existimavit Cartesius ad ædificium scientiæ, remotis erroribus, extruendum requiri : 1° ut semel in vita de omnibus dubitemus; sic poterimus omnia præjudicia quibus imbuti sumus exuere, ac proinde ad certitudinem philosophicam devenire.

2° Hic labor eversionis ad omnes cognitiones intellectus, rationis et sensuum externorum se extendit. Cartesius certitudinem, sive principiorum per se notorum, sive ipsarum mathematicarum demonstrationum, sive denique rerum existentium prorsus rejecit.

229. — Semel peracta in nobis hac eversione cujuslibet veri, Cartesius totum ædificium cognitionum super fundamento inconcusso reædificare vult.

1° Ad conscientiam se convertens, ab ipsa monetur se dubitare, seu cogitare, ac proinde existere; hoc vero factum alteri priori unitur : ille enim qui cogitat, nequit non esse. Inde celeberrimum effatum Cartesii : *Cogito, ergo sum.* En prima cognitio, et omnium certissima.

2° Sed hæc prima veritas constat facto cogitationis, ex quo eruitur factum existentiæ, quod cum primo ita connectitur ut unum sine altero concipi nequeat; vi hujus connexionis, secundum factum affirmatur, et inde Cartesius canonem sequentem attulit : *Quidquid continetur in idea clara et distincta verum est.*

3° Hoc principio fretus existentiam Dei demonstrat : Idea enim Dei est in nobis, ut constat testimonio conscientiæ; atque in idea entis infiniti notio ejus existentiæ clare et distincte includitur; ergo Deus existit.

4° Sed Deus *necessario concipitur ut verax...* Atqui veracitas divina veracitatem nostrarum facultatum implicat, quæ sunt donum et testimonium Dei veracis. Hoc pacto certitudinem generatim nanciscimur.

II. Quid sentiendum est de hac methodo?

230. — Thesis. *Methodica dubitatio suo muneri est impar, atque in circulum vitiosum impingit.*

Probatur 1ª *pars.* Dubitatio methodica invecta est ad certitudinem firmiorem et omnino scientificam constabiliendam; atqui statim ac in dubium revocat veracitatem

rationis, sibi præcidit unicum medium quo posset certitudinem scientificam acquirere.

Etenim 1° principium illud : *cogito, ergo sum*, non potest ut certum haberi quin intellectus, cujus est percipere et affirmare relationem *antecedentis et consequentis*, sit verax; ergo si intellectus ut verax non habetur, principium illud quo nititur certitudo philosophica, erit dubium.

Si responderetur conscientiam ad illud factum complexum percipiendum sufficere, hæc profecto non valeret responsio ; nam analysis et synthesis hujus facti requiruntur ad judicium ferendum. Porro istæ operationes ad intellectum pertinent. Ergo nulla certitudo philosophica, quin intelligentia ut verax habeatur.

2° Quando ex primo effato eruitur canon : *quidquid continetur*, etc., (229, 2°) id profecto non præstat conscientia, quæ non est facultas ratiocinandi. Ergo hæc methodus suo muneri est omnino impar.

Probatur 2ª *pars : Impingit in circulum vitiosum.* Ex Dei existentia et veracitate comprobatur veracitas nostrarum facultatum. Verum hæc ipsa Dei veracitas non constat nisi jam demonstrata sit veracitas facultatum. Ergo.

§ II. De vera dubitatione, seu de scepticismo proprie dicto.

231. Quoad dubitationem scepticam particularem, nullus est fons cognitionis cujus veracitas non fuerit negata : hinc variæ formæ scepticismi particularis.

1° *Empiristæ*, intellectus et rationis veracitatem impugnantes contendunt ea tantum esse certa quæ sensibus externis vel sensu intimo cognoscuntur. *Positivistæ*, ut aiunt, ulterius progredientes, hoc dogma princeps profitentur : soli experientiæ externæ confidendum et innitendum est; inde docent nihil affirmari posse de rebus quæ sensuum captum transgrediuntur, ac proinde metaphysicam, non secus ac Theologiam, e dominio scientiæ abjiciunt, quæ tota sisteret in cognitione legum naturæ sensibilis generaliorum.

2° *Idealistæ*, ex adverso, alii cum Berkeley, seu Vulgares, recusant sensus externos tantum, alii seu Transcendentales, non tantum sensus externos, sed etiam internos, et ipsam conscientiam recusant, ac proinde nihil certum habent, præter puros conceptus ideales.

3° *Rationalistæ*, vim rationis individualis seu subjectivæ nimis extollentes rejiciunt omnes veritates rationi subjectivæ non evidentes: unde quidquid non est intrinsecus evidens et rationalistis ipsis, reputatur falsum aut dubium. Rejiciunt ergo directe testimonium divinum et omnes veritates supernaturales, imo et ipsam certitudinem historicam, qua cogerentur admittere revelationem divinam.

Verum cum has diversas formas scepticismi particularis vel jam confutaverimus, vel opportuniori loco et distinctius impugnaturi simus, in præsens impetere sufficit illos tantum scepticos qui dubitant de omnibus veritatibus. Porro inter veteres scepticos, celebriores habentur Pyrrho Eleates (anno circiter 380 ante C. N.), Carneades (anno 170 ante C. N.) novæ Academiæ auctor, et præsertim Sextus Empiricus, qui in libro *hypotyposeon* ad formam scientificam argumenta scepticorum redegit. Inter recentiores, qui scepticorum deliramenta pene oblivioni data excitaverunt, famam aliquam consecuti sunt Montaigne in Gallia (sec. XVI), Bayle in Hollandia (sec. XVII), David Hume in Anglia (sec. XVIII) etc.

Contra hos omnes, sequentes theses stabiliemus :

232. — Thesis I. *Cum vero pyrrhonico qui se in omnibus scepticum esse profitetur, disputari nequit* (*a*).

Probatur. Ad disputationem instituendam requiritur : 1° Fundamentum et 2° conditio demonstrationis; atqui sceptici perfecti fundamentum et conditionem demonstrationis rejiciunt. Ergo.

Demonstratio exordiri debet ab aliquo principio certo, secus conclusionem certam nunquam dare posset; præterea requiritur ut ratiocinii vis non repudietur, nempe, ut non negetur mentem posse ab uno vero in aliud tuto devenire. Igitur disputatio subaudit principia certa et possibilitatem transeundi sine errore ab hisce principiis ad conclusiones. Atqui ille qui scepticum se in omnibus esse profitetur 1° nullum admittit principium certum, necnon 2° omnem ratiocinio vim denegat. Ergo cum tali homine disputari nequit.

Verum si disputatione convinci nequeunt, possunt

(*a*) De Thom. in IV Metaphysic. lect. VI, VII.

tamen absurditatis et insipientiæ coargui; eorum sane doctrina facillime everti potest.

233.— Thesis II. *Universalis dubitatio physice repugnat.*

Probatur. Physice repugnat ut quis naturam suam exuat; atqui universalis dubitatio ipsius naturæ depulsionem importaret. Ergo.

Major non eget probatione, nam evidens est, v. gr., eum qui sensu pollet, frigus et calorem non posse suis temporibus non sentire.

Ad minorem: Quod scepticismus universalis naturam exuere velit, non minus evidens est : Homo, cum habeat facultates cognoscendi, non potest abjicere omnem cognitionem certam, nam idem esset ac abjicere ipsam facultatem; facultas enim cognoscendi nunquam suum officium veritatis assequendæ adimpleret.

Ergo universalis dubitatio physice repugnat.

Præterea sceptici universales seu pyrrhonici sibi perpetuo et aperte contradicunt : isti enim homines usibus vitæ sicuti dogmatici se gerunt : v. gr. cibo reficiuntur, pericula vitant, contractus realitatem admittunt, etc. Ergo in omni vitæ ordine sicuti dogmatici se gerunt, dum in ordine speculativo de omnibus dubitant.

234. — Thesis III. *Universalis dubitatio intrinsecam contradictionem includit.*

Probatur. Scepticismus universalis in patenti contradictione versatur 1° ex eo quod praxis theoriam respuit, 2° ex eo quod dogmatismum impugnare nequit, quin dogmatismum affirmet. Ergo.

1° Est patens contradictio inter praxim et theoriam, ut constat ex antea dictis (233). Unde *physice* repugnat.

2° Nequit scepticismus affirmari quin dogmatismus adstruatur. Itaque *metaphysice* repugnat.

Etenim, 1° scepticus, qui docet in omnibus rationem esse fallacem, in hanc persuasionem devenire nequit nisi ex rationis usu : ex perpensa enim falsitate dogmatismi aliquis se scepticum profitetur, et idcirco vi ratiocinii.

2° Dum dubium affirmat, semper pro vera et inconcussa tenet *veritatem dubii*, nempe propositionem

sequentem ratam ac veram habet : *nihil cum certitudine cognoscere possum.* Igitur ex sola dubii positione affirmat aliquod verum, et præterea inconcussum habet testimonium conscientiæ illud verum referentis.

235. — *Corollarium.* Cum intrinsecus repugnet universalis dubitatio, patet 1° contra Cartesium et Hermesium philosophiam ab universali dubitatione sive fictitia sive reali exordiri non posse; ab aliqua ergo affirmatione *per se* indubia initium sumere debet; 2° contra quosdam rationalistas, initium philosophandi stare necessario in aliqua veritate *indemonstrabili,* quæ scilicet propria fulgeat perspicuitate, et per alia principia superiora collustrari nequeat. Qui enim vellet in omnibus ad certitudinem philosophicam ope solius demonstrationis devenire, ipsam philosophandi possibilitatem destrueret, nam requireretur series infinita demonstrationum, cum omnia principia cujuscumque demonstrationis essent demonstranda, et ideo nullius rei haberi posset demonstratio. Patet 3° contra idealistas et rationalistas principium philosophandi non esse in solis principiis rationis, nec in solis factis experientiæ, sed in utrisque mutuo conspirantibus.

§ III. De veritatibus primitivis et de idearum valore objectivo.

— 236. Ex hactenus dictis de veritatis assequendæ et judicandæ mediis nonnulla eruuntur circa idearum realitatem objectivam et veritates primitivas.

Veritates primitivæ, quæ ut fundamentum, seu ut primæ regulæ cujuslibet demonstrationis haberi debent, sunt tantummodo tres, licet multa alia sint principia indemonstrabilia. Dicuntur « primitivæ, » non in eo sensu quod sint fons omnis cognitionis seu quod in ipsis videantur cæteræ veritates, sed quia illis innititur omnis certitudo (1). Istæ veritates sunt :

1° *Factum primum,* quod est existentia propria cogitantis. Dicitur factum *primum,* quia negative est primum, quatenus nullum aliud factum ante ipsum affirmatur.

2° *Principium primum,* quod est contradictionis principium : *idem non potest simul esse et non esse.* Fundatur

(1) Vide Palmieri, Log.-crit. cap. I, Th. 5.

enim in idea entis, quam intellectus *omnium primam* format, et ex ea *immediate* intelligitur : unde est primum, quia prius notum, et quia, ipso dempto, nullum esset principium.

3° *Conditio prima*, nempe rationis aptitudo ad veritatem assequendam.

Sane admitti debet 1° philosophus antequam discat philosophiam, seu mens apprehendens debet scire se esse quæ apprehendit; 2° principium demonstrationis ante quamlibet demonstrationem, nempe veritatis quæ apprehenditur, non potest non esse, dum est; 3° possibilitas scientiæ ante scientiam, seu possibilitats nexus cognoscentis et cogniti ante quamcumque cognitionem.

Verum ut hoc distinctius proponatur, animadvertendum est quod in omni cognitione distinguere oporteat rem cognitam, subjectum cognoscens et conjunctionem seu nexum utriusque : uno enim ex illis deficiente, nulla daretur cognitio, et uno in dubium vocato, nulla dari posset certitudo intellectus. Itaque veritates immediate evidentes quibus necessario et exclusive innititur hoc triplex elementum cognitionis, sunt veritates primitivæ. Atqui prima veritas in ordine cognoscibilium est principium contradictionis cum hoc principium sit lex primordialis et necessaria omnis judicii atque omnium rerum; prima veritas in ordine subjectivo est ipsa existentia cogitantis : nam, sublata hac veritate, nullus esset ordo subjectivus; denique sine nexu cognoscentis et cogniti, nulla esset cognitio, et ideo aptitudo ad cognoscendum concipitur ut prævertens omnem cognitionem. Igitur *principium primum*, *factum primum* et *conditio prima* sunt veritates primitivæ quæ includuntur implicite, in omni judicio certo rationis, tanquam fundamentum omnis certitudinis.

236 *bis*. — Notandum est quod *conditio prima* seu aptitudo ad cognoscendum exprimit ipsam essentiam mentis, quæ non est nisi facultas cognoscendi; ex altera parte aptitudo ista mentis dicit cognoscibilitatem rerum. Qua de causa, cum illa veritate primitiva et indemonstrabili nectitur altera de *valore objectivo idearum*, quæ et ipsa nequit per se demonstrari; tamen indirecte demonstratur, ostenso scilicet nexu evidenti cum essentiali aptitudine mentis ad cognoscendum : dicere enim

ideas habere valorem objectivum, idem est ac affirmare ideas repræsentare aliquid seu esse apprehensiones rerum. Porro, licet dubitare possemus an reale sit quod cogitamus, an verum sit quod exprimitur nostris judiciis, fieri tamen nequit quod dubitemus an aliquid sit quod ab ideis repræsentatur, an sit illud idem quod apprehendimus seu per ideas cogitamus (192); nam idea idem est realiter ac apprehensio.

Quod hic valor objectivus nequeat *directe* demonstrari constat ex eo quod demonstratio fieri nequeat nisi per ideas, et nisi jam supposito earum valore objectivo : demonstratio debet ostendere rem esse sicut effertur, ac proinde præsupponit certam notitiam ordinis objectivi (1).

236 *ter.* — Notandum ulterius quod cum hactenus dictis consistere nequeat duplex methodus opposita philosophandi, transcendentalis scilicet et experimentalis, cum prima respuat ordinem objectivum rerum, et altera, ordinem ac valorem objectivum idearum. Etenim methodus quæ, rejecto plane ordine externo et reali rerum cognitarum, in solis principiis rationalibus a priori evolvendis tota est, dicitur methodus *transcendentalis;* dum methodus quæ, relictis omnibus principiis rationalibus, ad sola facta scrutanda totam scientiam revocat, dicitur methodus *experimentalis*, cui revocatur hodiernus *positivismus*, ut appellatur : hic enim totum ambitum scientiæ ad solam factorum *sensibilium* investigationem coarctat.

Utraque methodus, ut constat ex dictis, est quædam particularis forma scepticismi, et ideo amplior confutatio transcendentalismi et positivismi hic esset redundans et inutilis.

CAPUT III.

DE VERITATIS CRITERIO (*a*).

237. — Κριτήριον, quod juxta vim nominis *judicatorium* significat, est norma secundum quam verum a falso secer-

(1) Vide P. Palmieri, l. c. th. 6.

(a) Hanc quæstionem tractat. D. Thom. 1. 2., qu. 94, art. 6 et qu. 51, art. 1; in IV *Metaphysic.* lect. 12; p. I, qu. 84, art. 1. et qu. 117, art. 1, et alibi passim, præcipue in qu. *de Magistro*, inter qq. disput. *De veritate.*

nimus, seu, aliis verbis, est aliquod medium judicandi, quod de veritatis possessione nos certos reddit. Exhibet ergo *motivum* certitudinis.

Duplex distinguitur criterium : 1° criterium *per quod*, nempe *fons* cognitionum, qui constat facultate qua judicium profertur : de illo criterio egimus in superiore capite. 2° Criterium *secundum quod*, seu motivum quod cognitionum veritatem suadet : de hoc secundo agendum est.

Loquimur de criterio proprie dicto, nempe de illo quod omnibus particularibus criteriis implicitum est, vimque tribuit, ideoque est universale. Sunt enim particularia criteria, quæ cognitionum singularium veritatem suadent. Sed in his indiciis specialibus latet indicium generale, quod omnibus inest, eisque totam vim tribuit ; en criterium veritatis proprie dictum. Hujus proinde criterii characteres sunt : unitas et universalitas, prioritas et infallibilitas.

Circa illud, per viam eliminationis procedendo, quæremus 1° quid non sit, seu falsa criteria repellemus, 2° quid sit, seu verum criterium determinabimus et tuebimur.

ARTICULUS I.

De falsis criteriis.

238. — Falsa criteria a variis auctoribus inducta ad duplicem classem reduci possunt. Prima classis ea complectitur quæ normam illam judicandi reponunt in *aliqua re extrinseca* tum rationi nostræ, tum objecto huic de cujus veritate certitudinem quærimus. Secunda classis ea complectitur criteria quæ sunt *mere intrinseca* subjecto judicanti.

De criteriis utriusque classis agemus in sequentibus propositionibus.

239. — Thesis I. *Auctoritas sive humana sive divina non est unicum veritatis criterium.*

Hæc propositio duplicem complectitur partem : in prima parte, contra De Lamennais demonstrabimus humanam auctoritatem non esse unicum veritatis criterium; secunda pars contra Huetium, Bautain, etc., asse-

cit auctoritatem divinam non esse unicum veritatis criterium.

1ª *pars.* Asseruit De Lamennais rationem individualem *per se minime* valere ad aliquid cum certitudine cognoscendum; et idem statuit circa sensum intimum, sensus externos et ratiocinium. Hæc omnia media, juxta ipsum, haberi debent ut tot fontes dubii et erroris; regula infallibilis seu unicum veritatis criterium est consensus communis humani generis, cujus testimonium ipsius Dei testimonium est. Illud systema a Gregorio XVI, P. Max., fuit proscriptum (Encycl. die 25 junii anno 1834). Ejus autem falsitas sequenti argumento adstruitur :

Haberi nequit ut universalis norma judicandi quod 1° totum fere genus humanum qualibet certitudine orbaret, 2° secum pugnat, atque 3° non nisi per aliud criterium definiri potest. Atqui hæc omnia dici possunt de criterio illo quod invexit De Lamennais. Ergo.

Probatur minor. 1° Majorem partem generis humani privaret certitudine, ut per se patet; nam evidens est majorem partem hominum non posse ad omnia tempora et loca se protendere ad illum consensum colligendum.

2° Secum pugnat. Nam *omnes homines* singillatim sumpti multa ut rata et certa habent antequam consulant illum sensum communem; atqui illud testimonium omnium hominum constituit consensum communem. Ergo consensus communis fatetur, homines aliquid certo cognoscere posse sine illo criterio a De Lamennais invecto, ac proinde in hac hypothesi consensus communis pugnaret cum sensu communi.

3° Non nisi per aliud criterium definiri potest. Motivum certitudinem determinans debet cognosci priusquam certitudinem determinet. Ergo consensus communis, qui esset unicum illud motivum, debet cognosci seu determinari antequam adhibeatur. Atqui non potest determinari nisi per se aut per aliud criterium. Si *per aliud;* ergo istud præexistit, ac proinde consensus communis non est unicum et primum criterium. Si *per se;* jam impingimus in circulum vitiosum, et præterea in seriem indefinitam : unus enim consensus per alium distinctum definiretur, et iste per alium, et sic deinceps...

Ergo numquam inveniretur primum criterium seu primordialis norma judicandi.

Prob. 2ª *pars*, quæ est contra Huetium et nonnullos Traditionales philosophos, videlicet : *revelationem divinam neque unicum veritatis criterium esse, neque ordine primum.*

Etenim divina revelatio quasdam veritates prævias subaudit, scilicet 1° Deum esse, 2° Deo revelanti esse credendum, 3° Deum aliquid credendum proponere; atqui divinæ revelationi fidem non adhiberemus nisi istæ veritates ut certæ haberentur; ergo revelatio, quæ de his veritatibus nos certos reddere nequit, non est unicum et ordine primum veritatis criterium.

240. — *Scholium.* Hæc doctrina circa criterium veritatis sponte fluit ex doctrina Traditionalium, ut ostendemus in psychologia, et ipse De Lamennais, ut expressis verbis testatur, eam deprompsit ut corollarium ex hac doctrina.

241. — THESIS II. *Ultimum veritatis criterium reponi nequit* 1° *in testimonio conscientiæ,* 2° *in sensu seu interiori affectu animi, neque* 3° *in cæco naturæ instinctu.*

Nota. Ultimam partem theseos propugnamus contra Reid et totam scholam Scoticam; secunda adstruitur contra Jacobi, Benj. Constant, Rousseau et alios, et tandem primam tuemur contra Galuppium.

Prob. 1ª *pars. Ultimum veritatis criterium non reponitur in testimonio conscientiæ.*

Etenim conscientiæ testimonium versatur circa facta interna, et *actu reflexo* constat. Atqui criterium generale nos certos reddere debet de factis externis sicut de internis, et simul est norma pro cognitione *directa* non minus quam pro *reflexa.* Ergo impossibile est ut testimonium conscientiæ sit ultimum veritatis criterium.

Prob. 2ª *pars. Illud criterium non stat in interno affectu animi.*

Probatur. Quod mere *subjectivum* est, *variabile, indefinitum,* atque a subjecti physica constitutione, phantasia, præjudiciis, cupiditatibus, etc., maximopere dependet, non potest esse ultimum criterium veritatis *objectivæ, immutabilis.* Atqui talis est interior affectus animi. Ergo falsum est criterium quod invexerunt *sentimentales.*

Prob. 3ª *pars. Cæcus naturæ instinctus non est ultimum atque universale veritatis criterium.*

Juxta Reid ejusque scholam, est in nobis quidam instinctus naturalis mentem invincibiliter impellens ad quædam affirmanda, quorum nulla ratio reddi potest. Hic instinctus ab ipsis *sensus communis* nuncupatur, qui veritates primordiales ita asseverat ut homini non relinquat facultatem expendendi aut introspiciendi motivum sui assensus. Quorum placitum ita falsi arguitur :

Prob. I. Illud quod certitudinem omnem irrationabilem redderet atque ipsi scientiæ fidem cæcam subrogaret, nequit esse ultimum veritatis criterium. Atqui hæc omnia efficeret criterium Reidii. Ergo.

1° *Reddit certitudinem irrationabilem*, nam, in hac sententia, humana mens nunquam posset naturalis certitudinis rationem sibi reddere.

2° *E medio scientiam pellit :* Scientia est cognitio certa et evidens per demonstrationem *propter quid* acquisita, ac proinde exorditur a principiis certis et evidentibus, quorum evidentia et certitudo in omnes conclusiones refunditur. Atqui systema scholæ Scoticæ ad fidem cæcam reducit cognitionem *primordialium veritatum*. Ergo cognitio omnis, quæ ab hisce veritatibus exorditur, ad fidem cæcam reducitur, ac proinde nulla remanet scientia proprie dicta.

II. Præterea ut per illud criterium certus sim de aliquo, requiritur ut indubie sciam 1° hunc instinctum revera esse in me, et 2° me tuto ducere ad veritatem. Jamvero de his omnibus certitudinem habere nequeo nisi per *aliud criterium*. Etenim si necessitate naturæ seu vi ejusdem instinctus his fido, tunc revera mihi necessarium est ita credere; sed, an res vere ita sit, prorsus nescio. Ergo.

242. — *Scholium.* Hic non agemus de sententiis quæ criterium veritatis reponunt sive in rationibus æternis in ipsa mente divina a nobis immediate perspectis, sive in idea entis idealis, sive tandem in intuitione ipsius actus quo Deus creat existentias. Hæc figmenta prorsus gratuita, quæ experientiæ non minus quam rectæ rationi repugnant, confutabimus in Psychologia. Cum expendemus ipsa systemata a Malebranche, Rosmini, Gioberti invecta, hæc criteria excutiemus.

ARTICULUS II.

De universali veritatis criterio, seu de evidentia (*a*).

243. — Agitur hic de certitudine naturali, non vero de certitudine supernaturalis fidei, quæ in evidentia objecti cogniti fundari nequit, cum fides versetur circa obscura seu inevidentia. Generale criterium quod hanc certitudinem naturalem determinat, quodque in omnibus criteriis particularibus latet implicitum, ac terminum analysis partialium motivorum assentiendi exhibet, inquirimus (1). In nostra sententia illlud criterium universale est evidentia. Hinc debemus 1° sedulo declarare quid sit evidentia, et 2° probare quod in ea consistit criterium veritatis.

§ I. De evidentia in se.

I Quid est evidentia?

244. — Evidentia, quæ dicitur a *videndo*, generatim est quædam claritas et lux qua intellectus ita distincte et clare cognoscit objectum, sicut oculus lucem et colorem; proprie nihil est aliud quam *objecti perspicuitas* seu *visibilitas quædam eminens*. Hæc visibilitas consurgit 1° ex realitate objecti, 2° ex copia lucis quæ objectum illustrat, 3° ex eo quod objectum luce sua facultatem videndi actu percellat; quæ tria *significatione propria* evidentiam *sensibilem* constituunt; *in sensu translato* evidentiam *intelligibilem* determinant. Equidem *realitas* idem dicit ac *veritas*, et *lux* pro *motivis* veritatem manifestantibus sumitur.

(*a*) D. Thom. p. I, qu. XVII, art. III ad 2; qu. 82. a. 2. qq. disp. *De veritate* qu. 15, art. I.

(1) Aliqui recentiores varia confundentes et sibi non cohærentes, putarunt certitudinem naturalem non fundari in unico seu universali criterio quod implicite cætera proxima et particularia contineret criteria. Suam sententiam probant ostendendo *falsa* aut *particularia* criteria non esse unicum nec universale criterium veritatis ! Deinde affirmant « ultimum criterium esse evidentiam objectivam, » quatenus menti seipsam manifestat; porro in hac assertione non modo sibi non consentiunt, sed adjecta determinatio evidentiæ objectivæ manifeste abundat, cum evidentia ipsa sit cognoscibilitas seu fulgor veritatis in objecto relucens.

Hæc autem omnia se tenent ex parte objecti : unde evidentia objectiva stricte definiri potest : *ipsa cognoscibilitas* (151, 2°) *sese manifestans intellectui ea claritate, ut assensum per se et necessario determinet.* Et in eodem sensu solet etiam definiri : *necessaria veritatis intelligibilitas.*

245. — Sed perceptio hujus rei evidentis cum *ipsa evidentia* permisceri non debet. Perceptio enim est affectio subjecti intelligentis. Jamvero evidentia stricte sumpta, ut modo definita fuit, non ad intellectum pertinet, sed ad objectum intellectus : quod luculenter patet ex usu loquendi. Nemo enim dicit : *Ego sum evidens;* sed recte dicitur : *Hoc est evidens, evidentiæ resistere, nos cogi ab evidentia.* Ergo evidentia proprie et stricte est tantum *objectiva* (1).

Verumtamen cum cognoscibilitati respondeat cognitio, fit ut aliquando evidentia *subjectiva* dicatur. Hæc evidentia subjectiva, quæ est aliquis status mentis veritatem clare percipientis, ac proinde *effectus* evidentiæ, potest definiri : *ipsa claritas intellectionis et necessitas assensus respondens evidentiæ objectivæ.* Idem est ac actus evidens (2), seu perfectio actus.

246. — Cum evidentia sit fulgor veritatis, patet ideas stricte loquendo non dici evidentes (156); judicia duntaxat dici possunt evidentia (155).

II. Quotuplex est evidentia?

247. — Licet evidentia, quæ *abstracte* (nempe quatenus ipsa ἐνάργεια distinguitur ab *evidente*), est objecti claritas, sit unica, tamen pro *ratione modi* quo se contuendam menti porrigit, est multiplex; et sub hoc respectu debet præsertim considerari, qui se refert ad originem certitudinis.

1° Evidentia potest esse *immediata* vel *mediata* quatenus veritas per se menti innotescit, vel tantum vi relationis cum alia veritate prius cognita.

(1) Notandum est quod in intellectione perfecta tria distinguuntur 1° conformitas actus cum objecto, 2° necessitas assentiendi, 3° impotentia ad falsitatem. Primum vocatur *veritas*, secundum *evidentia*, tertium *certitudo.*

(2) Vide Hurtado, de anim. diss. VIII. s. 1 § 3.

2° Evidentia vel absoluta est, vel hypothetica :

Dicitur *absoluta* quando res aliter se habere nequit in qualibet hypothesi : v. gr., totum est majus sua parte. Est *hypothetica* quando absolute loquendo, res aliter se habere potest, ac proinde, data hypothesi, aliter revera esset; v. gr., hic mortuus non reviviscet nisi fiat miraculum.

3° Potest etiam dividi in intrinsecam et extrinsecam. Dicitur *intrinseca* quando, re sola spectata, manifestatur nexus necessarius qui sive absolute, sive hypothetice constat inter subjectum et prædicatum, ut in hac propositione : Omnis effectus habet causam. Ipsa ergo veritas manifestata menti est in se evidens.

Dicitur *extrinseca*, quando non prodit ex ipsa manifestatione objecti, sed ex manifestatione alicujus extrinseci cum propositionis veritate necessario connexi. Evidens est ratio postulans assensum huic veritati; et sic ista veritas, in se non evidens, fit tamen evidens, in fulgore hujus rationis. Exemplum habemus in omnibus judiciis quæ in auctoritate fundantur. Auctoritas est aliquid hisce veritatibus extraneum : verumtamen constituit evidentiam harum veritatum, quæ proprio sensu *evidentes* dici nequeunt, sed solum evidenter *credibiles*.

Tandem 4° dividitur etiam, ut certitudo (170), in *metaphysicam*, *physicam* et *moralem*, prout ratio quæ assensum cogit seu evidentia relucet in intrinseca rei necessitate vel in principiis physicis seu naturæ legibus, vel in regulis prudentiæ seu legibus moralibus.

§ II De evidentia ut est criterium veritatis.

248. — Thesis. *Evidentia, prout a nobis fuit definita, est universale et ultimum veritatis criterium.*

Probatur. Criterium veritatis, ut constat ex dictis (237), est indicium aut norma qua veritatem a falsitate distinguimus, seu motivum quo adducimur ad assensum certum; atqui hæc norma aut illud motivum non potest esse nisi evidentia. Ergo evidentia est criterium veritatis in genere inspectum.

Probatur minor. 1° Certitudo gignitur quando omnis formido errandi penitus exclusa est (168). Atqui for-

mido errandi cessat statim ac nulla remanet suspicio quod res aliter se habere queat ac apparet, seu quando *necessitas* propositionis est plane comperta.

Ergo hæc necessitas propositionis seu evidentia veri (155,244) propositi menti innotescens, est criterium veritatis, id est, motivum determinans assensum certum; statim ac cognoscimus rem necessario ita esse, veritas propositionis fit nobis perspicua, et assensum determinat certum.

2° Si partialia motiva sedulo investigemus quibus adducimur ad certitudinem, videbimus ea refundi in quoddam motivum generale. Illud est *perspicuitas veritatis* seu *ipsa entitas* objecti prout ita contuendam se porrigit ut appareat necessario esse sicut se porrigit.

Exempla. 1° Quoad judicia rationalia immediata, nempe quorum elementa sunt ideæ universalissimæ, et ideo comprehensione notarum simplicissimæ, ut est sequens; totum est majus sua parte, motivum assensus est *perspicuitas nexus necessarii* inter subjectum et attributum, seu evidentia propositionis.

2° Judicia mediata ut certa habentur statim ac *nexus* horum judiciorum cum principio certo fit *perspicuus*; quando mens videt nexum seu intelligit demonstrationem, evadit certa. Quamdiu hic nexus non fit ita intelligibilis ut eluceat *rem necessario ita esse*, mens non quiescit.

Ergo indicium veritatis est necessaria ejus intelligibilitas menti innotescens.

3° Si agitur de judicio experimentali, v. gr., hic lapis est niger; statim ac lapis ita oculis fit perspicuus, ut clare deprehendam lapidem ita esse et non aliter, certus sum. Indicium veri est etiam perspicuitas objecti.

Indicium ergo, quo ratio naturaliter utitur ad veritatem discernendam, est evidentia.

249. — *Scholia.* I. Intellectus, *per se* spectatus, veritati quæ ipsi evidens est, assensum denegare nequit; nam intellectus est potentia necessario agens, nimirum quæ a suo objecto determinatur ad actum. Verumtamen intellectus per voluntatis influxum, *aliquando* potest ab assensu retrahi (1). Dixi *aliquando*, nam quoad veritates

(1) Vid. notam ad num. 197.

immediatas, voluntas non potest impedire assensum intellectus. Sequentes propositiones : aliquid non potest simul esse et non esse; totum est majus sua parte, possunt utique ore negari, sed interna veritatis earum persuasio tolli nequit : excludunt enim ejusmodi veritates possibilitatem formidinis sive prudentis sive imprudentis. Si agitur de veritatibus mediatis, voluntas potest, saltem *indirecte* nempe divertendo attentionem ab objecto, assensum impedire : excludunt sane istæ veritates possibilitatem formidinis prudentis de errore, non tamen formidinis imprudentis. Inde intellectus ex se aliquo modo indeterminatus remanet, ac proinde potest a voluntate inclinari.

II. Evidentia est infallibilis, nam si indicium veritatis fallibile diceretur, ratio esset plane inepta ad veritatem acquirendam, quam certo recognoscere non posset.

CAPUT IV.

DE ERRORUM ET IGNORANTIÆ CAUSIS.

250. — Jam perspectis antea fontibus veritatis ex una parte, et indicio quo eamdem cognoscimus ex altera, quærere debemus quare mens a vero aliquando deflectere possit, aut saltem ad illud usque interdum non perveniat. Sicut enim usus rectus facultatum nos ducit ad verum assequendum, ita earumdem abusus nos ad errorem devocat, aut in ignorantia relinquit.

ARTICULUS I.

De errorum causis.

251. — Error reperiri potest tantum in judicio, siquidem, ut antea diximus, veritas aut falsitas formaliter sumpta nonnisi judicio inest (155).

Judicium subjective spectatum est rectum vel erroneum : *rectum*, quando ideam, quæ per attributum exprimitur, refert ad proprium ejus subjectum ; *erroneum*, quando hanc ideam a proprio objecto detorquet ut eam alteri objecto applicet.

Hinc error definiri potest : *Mentis assensus, quo vel negamus conformitatem eorum quæ sunt conformia, vel affirmamus conformitatem eorum quæ sunt difformia.*

Igitur objectum erroris est falsitas, quæ tamen sub veritatis specie menti proponi debet, nam formale objectum intellectus seu ratio ob quam hæc facultas assentit, est veritas; porro quælibet facultas non potest moveri nisi tendendo ad suum proprium objectum : sic, v. gr., oculus non potest videre ubi non est lux.

252. — Thesis. *Fons primarius cujuslibet erroris est in libera voluntatis motione.*

Probatur. Ut antea probavimus, intellectus dupliciter ad assensum determinatur, nempe 1° ab objecto vel 2° a voluntate. Atqui *objectum* quod assensum intellectus extorquere valeat, est dumtaxat veritas evidens (248); Ergo *voluntas sola* potest determinare intellectum ad *assensum erroneum.*

253. — Ex dictis (251,252) patet *causam adæquatam* erroris hæc duo postulare : 1° ut falsum sub specie veri intellectui se offerat, 2° ut intellectum voluntas moveat. Porro fontes particulares errorum possunt ad primum aut ad secundum caput reduci.

1. In primum caput refunduntur 1° præjudicia, 2° confusio idearum, 3° auctoritas illegitima.

1° Per *præjudicium* intelligitur *opinio erronea animo alte defixa, qua tamen utimur tanquam principio certo.* Hæc præjudicia sunt diversa pro indolis, nationis, familiæ, educationis, sectæ, professionis, etc., varietate.

2° *Confusio idearum* adest quando *alicui veritati in judicando inconsulto subrogatur altera,* et tamen ratiocinia efformantur eodem modo ac si ageretur de eadem. Hæc confusio et inscia substitutio tanquam radix omnium fere errorum haberi debet.

Causa hujus confusionis est 1° in imaginatione quæ ab uno phantasmate, ex duobus associatis, statim inscie pergit ad aliud, quo magis percellitur. Est 2° in oblivione alicujus adjuncti, quo elapso, veritas ipsa elabitur; aut etiam 3° in objecti sublimitate vel subtilitate quæ attentionem difficiliorem exquireret; denique 4° est in vocabulorum indeterminatione aut æquivoca significatione.

Generatim ergo hæc substitutio fit ex defectu attentionis ac reflexionis, sive ob ignaviam, sive ob impatientiam, ita ut, neglecto labore expendendi objectum cognoscendum, temere et inconsulto *sententia proferatur*.

II. Quoad causas proximas erroris quæ refunduntur in *motionem voluntatis*, sequentes sunt notatu dignæ :

1° *Affectuum dominatus* quo mens relictis iis quæ inclinationi inordinatæ non favent, se convertit ad ea quæ his affectibus consonant : hinc causa assentiendi non est evidentia, sed ipsa cupiditas. Ad hanc causam generalem pertinent ira, invidia, odium aut inordinatus amor, quibus unice judicatur de objecto proposito, secundum benevoli vel malevoli animi propensionem, commodum aut partium studium, quod ex antea recensitis enascitur (1).

2° *Novitatis amor aut contradicendi prurigo* ob vanitatem aut nimiam propriæ perspicuitatis fiduciam.

3° Sed causæ omnium pessimæ sunt *voluptas et superbia :* Voluptas quæ, ut ait Cicero, *omne lumen animi extingueret*, præsertim si diu et intente in aliquem dominata fuisset. Idem sentiendum est de superbia quæ deordinato sui amore constans, extinguit in primis omne lumen supernaturale, et præterea obcæcat etiam lumen naturale (2).

254. — Istæ omnes causæ, quæ primitivam radicem habent in voluntate, intellectum perturbant et illius assensum extorquent antequam evidentia veritatis illi affulgeat : voluntas ergo serenitatem mentis obnubilat, intellectum applicat quibusdam veri apparentiis, et sic illum trahit ad falsum.

Remedia omnium errorum indicatur sequenti effato : *sublata causa, tollitur effectus.*

ARTICULUS II.

De causis ignorantiæ.

255. — Licet error aliquam semper involvat ignorantiam, cum hac tamen non potest confundi : error enim importat assensum falsæ propositioni, dum ignorantia nullum includit assensum aut dissensum mentis.

(1) Vide S. Thom. 1ª 2æ q. 88 a. 3.

(2) S. Thom. 2ª 2æ q. 15. a. 3.

Igitur causæ errorum semper haberi debent ut fontes ignorantiæ, siquidem causæ quæ mentem a vero detorquent, ignorantiæ hujus veri exordium dant. Attamen sunt fontes quidam proprii solius ignorantiæ, qui sunt naturales aut voluntarii.

256. — Prima causa ex ipsa *naturali hominis conditione* petitur, scilicet ex facultatum potentialitate et limitatione : 1° ex facultatum potentialitate, nam homo omnibus scientiis orbatus nascitur, ad quas operose et pedetentim pervenit ministerio sensuum, qui infirmitate et quadam ingenita inertia laborant.

Deinde 2° ex absoluta facultatum limitatione in virium intensione, namque ratio ipsa, etiam exculta, non est satis *velox* ad cito percipiendum, neque satis *memor* ad retinendum, neque satis *acuta* ad acriter intelligendum, neque tandem satis *ampla* ad multa simul capiendum.

Tandem 3° ex facultatum limitatione relativa, scilicet in ordine ad objecti extensionem : et revera etiamsi dotibus supra enumeratis, quibus caret, eximie polleret ratio, tamen nunquam pervenire posset naturaliter ad omnes veritates cognoscendas; quapropter, sicut dominium ejus objectivum ac possibile est illimitatum, ita ejus dominium reale in ordine consecutionis necessario limitatum est et coarctatum. Hæc ergo ignorantia est necessaria, non autem voluntaria et pravæ dispositionis (161).

Autumant Rationalistæ nullos esse limites intellectui humano præfinitos, necnon perfectibilitatem naturalem intelligentiæ nostræ se extendere ad totum ambitum intelligibilium. Contra hunc pessimum errorem affirmatur.

257. — Thesis I. *Dantur quædam veritates quæ absolute et per se rationis humanæ captum excedunt.*

Probatur. 1° Ambitus intelligibilium determinatur per ea omnia quæ intellectus infinitus intelligit. Atqui intellectus humanus est finitus, utpote contingens et successive perfectibilis. Ergo impossibile est ut hic intellectus ea omnia intelligibilia complectatur, quæ intelligit intellectus infinitus.

2° Tantum abest ut ratio humana ad omnia intelligibilia se extendat, ut etiam innumera sint in ipsis rebus *naturalibus* impervia huic rationi.

258. — Thesis II. *Verumtamen veritates supra rationem dici nequeunt contra rationem esse.*

Probatur. Contra rationem est id quod in terminis quibus constat, veritati evidenti opponitur. Atqui in veritatibus supernaturalibus, quæ supra rationem sunt, ratio, suis viribus relicta, deprehendere nequit convenientiam vel repugnantiam terminorum. Ergo quæ sunt supra rationem, non sunt hoc ipso contra rationem.

Igitur generatim concludimus rationem humanam suapte natura, semper aliqua laborare ignorantia.

259. — Thesis III. *Veritates suprarationales, etsi per proprias rationes apprehendi et cognosci a nobis nequeant, possunt tamen per fidem et auctoritatem credi.*

Prob. I. Rudes multas veritates scientificas tenent quarum proprias et intimas rationes assequi nequeunt. Ergo nihil impedit quominus veritates suprarationales semel propositæ cognoscantur et credantur.

II. Veritates, etiam dogmaticæ, cognosci possunt per testimonium (189, 202), minime apprehensa eorum intrinseca ratione. Ergo fide firma et certa teneri possunt, si testificans auctoritatem sufficientem habeat.

260. — Secunda causa ignorantiæ reperitur in *ordine præpostero studiorum.*

Ordo præposterus studiorum varie haberi potest, scilicet :

1° Quando quis ad scientias sublimiores et abstrusiores, neglectis scientiis præviis, propter inconsultam cognoscendi cupiditatem aggreditur;

2° Quando in plures scientias longe dissitas simul discendas quidam incumbere conatur;

3° Quando absque ullo consilio et deliberatione prudenti, sed temeritate et libidine ducti, aliqui talia eligunt studia, ad quæ nullam naturaliter habent aptitudinem.

In primo casu, nequeunt intima scientiæ recondita rimari. In secundo, mens mole idearum obruta nihil perspicue capit, nullamque notitiam harum scientiarum distinctam servat. In tertio, operam perdit, relictis disciplinis quibus fructuose vacare posset.

260bis. — Tertia causa reperitur in immodico contemptu abstractarum cognitionum et in aversione ab omni ratiocinio prolixo.

I. *Immodicus contemptus notionum subtilium* hominem reddit imparem sive ad cognitionem scientiarum superiorum, sive ad alte cognoscendum de qualibet scientia. Exinde fit ut in ignorantia plena torpescat aut in inchoata cognitione stolide stagnet.

Hæc causa nostris temporibus valde communis est. Multi enim negligunt quidquid supra sensus extollitur, et odio habent omne quod imaginationem non delectat, aut sensum seu affectum non expergefacit; a rebus spiritualibus animo abhorrentes, ludibrio habent veluti chimæram, stultam et vanam subtilitatem, omnes illas scientias abstractas quæ captum vulgi exsuperant. Igitur hæc causa partim refunditur in amorem voluptatum, et partim in inertiam seu torporem animi respectu veritatum superiorum. Exinde etiam fit ut illi qui hoc morbo mentis implicantur, ratione dicendi unice delectentur, necnon ab ipsa veritate abhorreant.

Verumtamen in oppositum scopulum impingere non debemus, scilicet, in immodicam obscurarum quæstionum delectationem. Illecebra subtilitatum aut meræ speculationis qua mens tempus tereret in argutiis, est utique defectus longe rarior, sed tamen vitandus. Vergente jam Scholasticorum tempore, fuit æque communis hic ardor cavillandi atque est nostra ætate defectus oppositus.

II. *Timor deordinatus cujuslibet prolixitatis* in ratiocinando est etiam causa ignorantiæ. Etenim quælibet scientia nonnisi ope meditationis et reflexionis acquiritur; constat enim pluribus notionibus inter se nexis, ac proinde cognosci nequit quin hic nexus in lucem ponatur. Porro odium cujuslibet ratiocinii prolixi idem est ac odium meditationis et reflexionis diuturnæ. Ergo hic timor ratiocinii aliquantulum continui merito connumeratur inter causas ignorantiæ.

Transitio ad metaphysicam.

Hucusque ideas seu cognitiones ipsas consideravimus, 1° in suis elementis relationibusque intrinsecis, 2° in suis relationibus extrinsecis ad objecta, seu ad res in seipsis. Nunc ad res ipsas transimus.

Hujus transitus possibilitatem negavit Kantius, eo quod, juxta ipsum, non cognoscimus res ut sunt in se-

ipsis, sed tantum ut apparent in ideis; ejusdem transitionis realitatem negarunt Schelling, Hegel et generatim Transcendentales, eo quod putant ideam idem esse cum realitate, ac proinde Logicam cum Metaphysica.

Sed has negationes jam sufficienter præoccupavimus stabiliendo realitatem objectivam conceptuum (192). Deinde ex dicendis in Metaphysica evidentius apparebit absurditas illorum systematum.

EXPLICIT LOGICA.

METAPHYSICA

PROLOGUS.

261. — Metaphysica, juxta vim vocis (μετὰ τα φυσικά), idem sonat ac *post physica* seu *ultra physica*. Ita ab Aristotele vel ab ejus discipulis nuncupata fuit, tum quia ordine acquisitionis post scientiam rerum materialium venit, seu *Physicæ* succedit, tum ex eo quod ejus objectum naturam sensibilem seu ordinem rerum *physicarum* superat.

Secunda nominis interpretatio definitionem realem exhibet : res enim quæ a veteribus dicebantur *physicæ*, eæ sunt quæ a sensibus attingi possunt, nempe res *materiales*. Hinc objectum Metaphysicæ constituunt res quæ non sunt materiales, seu quæ absque materia aut existunt aut saltem abstractione mentis concipiuntur. Objectum ergo Physicæ sunt res omnes materiales, et objectum Metaphysicæ sunt res *aut per se, aut mentis abstractione* immateriales, quæ propterea sunt rationes altissimæ et nobilissimæ.

262. — Illud ens immateriale considerari potest; 1° Generatim, nempe prout intelligitur de rationibus rerum ultimis quæ mentis præcisione a rebus omnibus abstrahuntur. Disciplina particularis quæ circa ens immateriale sic inspectum versatur, nuncupari solet *Metaphysica generalis* seu *Ontologia*.

2° Potest considerari speciatim, scilicet quatenus entia realia declarat ; et hæc Metaphysicæ pars quæ versatur circa varia hæc entia realia, nempe circa mundum, hominem et Deum, nuncupatur *Metaphysica specialis*, quæ in tres disciplinas inferiores subdividitur :

1° Prout considerat ea quæ de mundo materiali, præcisione mentali, *generalia* fiunt, seu abstractione mentis immaterialiter spectantur, Metaphysica specialis dicitur *Cosmologia*, cujus proinde objectum est ipsa natura corporea incorporeo modo spectata, id est prout rationi, et non sensibus se patefacit. Igitur Cosmologia a Physica distinguitur, in quantum hæc considerat mundum corporeum prout sensibus apparet, dum illa nullatenus examinat id præcise quod sensibus apparet.

2° Prout Metaphysica specialis circa animam humanam versatur, quæ est ens natura sua immateriale, nuncupatur *Psychologia.*

3° Denique prout de Deo ipso disserit, qui a qualibet concretione materiali quam maxime recedit, Metaphysica specialis appellatur *Theologia.*

Ergo inferiores disciplinæ in quas distribuitur Metaphysica sunt : 1° Ontologia, 2° Cosmologia, 3° Psychologia, 4° Theologia.

Ex hac enumeratione patescit Metaphysicam generatim inspectam stricte describi posse : *scientia quæ ex rerum rationibus diversimode ultimis, eas prosequitur quæ vel re, vel mente tantum a materia sunt magis abstractæ seu sensum transgrediuntur.*

In prima definitionis parte, quæ locum generis tenet, diximus : ex rerum *rationibus ultimis*, quia Metaphysica est quædam pars Philosophiæ quæ ultimas rerum rationes (3) considerat.

In secunda parte dicitur : *eas* (rationes ultimas) *prosequitur quæ vel re vel mente tantum a materia sunt magis abstractæ*, seu magis remotæ, et hæc pars differentiam proximam exhibet. Rationes quæ reapse seu natura sua a materia abstrahunt, objectum Theologiæ et Psychologiæ constituunt, dum rationes quæ *mente tantum* a materia sunt abstractæ, constituunt objectum Cosmologiæ. Denique objectum Ontologiæ rationibus his coalescit quæ etiam mentis præcisione a rebus *omnibus*, sive corporeis sive incorporeis, abstrahuntur. Inde in definitione diximus *diversimode ultimis.*

263. — Ab Ontologia exordiemur; hæc enim disciplina notiones generaliores considerat, quæ sunt principia aliarum disciplinarum. Præterea Metaphysica specialis exordium ducit a Cosmologia, seu a crassioribus

et magis patentibus; et gradum facientes ab imperfectioribus ad perfectiora, assurgemus 2° ad Psychologiam, et denique 3° ad Theologiam naturalem, seu ad sublimiora.

METAPHYSICA GENERALIS

SEU ONTOLOGIA *(a)*.

264. — Metaphysica generalis, ut diximus, versatur circa ens in genere, seu universalissimas perpendit rationes quæ ad notionem entis reducuntur, ut eas distinctas reddat, et idcirco *Ontologia, nimirum scientia de ente* nuncupatur (λογος περὶ τοῦ ὄντος).

Jamvero ut ad hanc scientiam ordinatim aggrediamur, primum considerare debemus ipsum conceptum entis. Deinde, communibus entis affectionibus perspectis quæ ens ipsum primitus afficiunt, suprema entium genera, nempe generaliorem entis divisionem considerabimus. Postea agemus de causis, nempe de ente, prout vim agendi seu efficiendi habet. Denique ultimo loco ad specialiorem entis cognitionem deveniemus, considerando varias entium perfectiones quibus entia ipsa in diversas classes distribuuntur. Hinc Ontologiam distribuemus in quinque capita :

Caput primum erit de ente in genere; secundum, de communibus entis perfectionibus; tertium, de supremis entium generibus; quartum, de causis; tandem quintum, de specialibus entium perfectionibus. Et sic absolvemus totam hanc materiam, a simplicioribus et magis indeterminatis exordiendo, ut ad specialiora et magis determinata deveniamus.

(*a*) Vide S. Thomæ opusc. de Ente et essentia.

CAPUT I.

DE ENTE IN COMMUNI.

265. — In hoc capite, considerabimus *quid sit ens*, seu quomodo a nobis concipi possit. Præterea agemus de eo quod primo de ente concipitur, seu de *essentia*. Tandem ultimo loco, disseremus de duplici statu entis, nimirum de *existentia* et *possibilate*; cum enim ens aliquam realitatem vel actu habeat vel saltem habere possit, fit ut prima entis divisio ea sit qua partitur in ens in *actu* et ens in *potentia*.

Igitur primum caput in tres articulos distribuemus : articulus primus tractat de conceptu entis; secundus, de essentia; tertius, de existentia et possibilitate.

ARTICULUS I.

De conceptu entis (a).

I. Quid sit ens?

266. — I. Entis conceptus ita est clarus ut definitione non egeat, et ita simplex et abstractus, ut proprie definiri non possit.

1° *Proprie definiri non potest.* Quælibet definitio propria fit per enumerationem essentialium notarum quibus res coalescit, ac proinde per notiones universaliores et abstractiores re definienda. Atqui conceptus entis, quatenus universalissimus et abstractissimus, aliis pluribus non coalescit (53, 107, 3°), ac proinde non potest resolvi in notiones simpliciores et magis abstractas. Ergo ens in communi proprie definiri nequit.

2° *Non eget definitione*, ut diximus, propter maximam perspicuitatem sui conceptus, qui est omnium clarissimus.

267. — Verumtamen declarari potest in quo entis ratio consistat, seu quid entis nomine et conceptu veniat.

Ens derivatur a verbo *sum*, estque participium ejus : sed non tantum in vi participii, verum etiam in vi nomi-

(a) D. Thom. *De ente et essentia* in IV Metaphysicor. lec. 2. *Contra gentes*, l. I. cap. XXV, et p. 1. qu. 3, art. 5.

nis sumitur : et hic vox entis sumitur in vi nominis. Per ens ergo intelligitur *id quod habet esse*, nempe aut *existentiam* simpliciter, aut *realitatem aliquam*. Ente igitur duo significantur : 1° id quod existit; 2° id quod habet aliquam realitatem. In hac secunda generaliori significatione, sub qua potissimum consideratur in Ontologia, idem est ac res. Ens ergo seu res dicitur 1° de rebus existentibus quæ actu realitatem habent, 2° per analogiam attributionis de iis quæ existere possunt; sed formaliter abstrahit a possibilitate vel existentia. Id enim quod primo de ente cognoscimus est *existentia*, et secundo, ipsa *possibilitas*, quæ ope abstractionis et reflexionis detegitur.

Ens, quod est objectum proprium intellectus, est objectum *materiale* conceptuum; nam quidquid est, intelligibile est, et tantum intelligibile est, quantum est. Verumtamen ens non semper et in omnibus est objectum *formale* intellectus, secus nihil aliud perciperemus in rebus nisi rationem indeterminatam realitatis.

Conceptus entis dividitur in objectivum et formalem (22) (25), etc.

Duplex iterum est conceptus formalis entis, *directus* scilicet et *reflexus*. Directus confusus manet quoad suam extensionem, ac prior cæteris omnibus formatur ut postea dicemus. Reflexus, qui ope abstractionis comparativæ formatur, est posterior cæteris, et de hoc in præsens agitur.

268. — II. Circa *valorem objectivum* conceptus entis, hoc tenendum est : Conceptus entis valorem objectivum habet quoad id quod exprimit, non quoad universalitatem sub qua illud exprimit. Prima pars, quæ asseritur contra Kantium, remanet probata ex dictis in Logica critica, altera, quæ impugnat Pantheistas et Ontologos, vindicabitur in Metaphysica speciali.

268 *bis*. — III. Sed, his præmissis, quæritur : *Quomodo conceptus entis ad conceptus inferiores se habeat?*

Conceptus *formalis* proprius et adæquatus entis, ut sic, est unus re et ratione præcisus ab aliis conceptibus formalibus rerum et objectorum determinatorum. Et huic respondet conceptus *objectivus*, qui expresse non

dicit tale vel tale ens, sed omnia entia per modum unius, scilicet quatenus sunt inter se aliquo modo similia, seu conveniunt *in essendo*. Itaque,

269. — THESIS. I. ***Ratio entis non est generica, ac proinde nequit esse univoca*** (1).

Probatur. Ratio generica debet esse simpliciter eadem in omnibus inferioribus, et differre a qualibet differentia specifica illi adjecta. Atqui ratio entis 1° non est simpliciter eadem in omnibus suis inferioribus; 2° non differt a variis differentiis specificis. Ergo notio entis non potest dici generica.

Major est inconcussa; notio generica, v. g. in homine notio *animalis*, est eadem in omnibus animantibus; sed differt a notione *rationalis* quæ illi est adventitia, imo ab ipsa diversa.

Ad minorem : 1° Notioni entis non respondet eadem omnino ratio entitatis in omnibus inferioribus; nam hæc notio convenit omnibus rebus : substantiæ et accidenti, causæ et effectui, infinito et finito, etc., seu rebus realiter diversis. Ergo non est eadem ratio objectiva respondens conceptui entis, ac proinde ratio entis non est simpliciter eadem in diversis inferioribus.

2° Non differt etiam a *differentia specifica*; nam ens generalissime sumptum dicitur de omnibus differentiis, sicut de quolibet genere, ac proinde nunquam determinari potest per adjectionem notionis adventitiæ. Ergo non est generica.

Sequitur quod ratio entis nequeat prædicari *univoce* de suis inferioribus, cum sit diversa in diversis entibus, ideoque non est univoca. Etenim, in hac ratione formaliter sumpta inferiora conveniunt et differunt : conveniunt enim in ratione abstracta entis, non autem in ratione concreta seu prout est in inferioribus, v. g. in substantia et accidenti. Atqui ratio univoca debet esse eadem, non tantum ut præcisa ab inferioribus, sed etiam ut est in illis inferioribus.

Cor. Conceptus objectivus entis, prout in *reipsa existit*, non est aliquid ex natura rei distinctum et præci-

(1) Scotistæ putant ens, ut sic, prædicari univoce de Deo et creatura, substantia et accidentibus, etc. Vide Pontium, Metaph. disp. II q. II, conc. 2.

sum ab inferioribus in quibus existit. Est tamen *secundum rationem* ab omnibus particularibus seu membris dividentibus ens distinctus, cum sit abstractus.

270. — Thesis II. *Conceptus entis, tum formalis tum objectivus, respectu inferiorum ad quæ descendit, est conceptus analogus, analogia attributionis sui generis.*

Probatur. Analogia in conceptibus in hoc consistit ut alicui notioni non respondeat nisi ratio diversa entitatis cum aliqua tamen habitudine; exquirit enim 1° unum conceptum, 2° rationem entitatis, in rebus hoc conceptu designatis, partim diversam et partim eamdem (27, 1°).

Hæc analogia dicitur *attributionis*, quando analoga habitudinem seu dependentiam necessariam habent ad unum ex analogis, quod intrinsecus habet formam voce significatam, et quod est analogum princeps.

Atqui conceptus entis ita est unus 1° ut tamen ratio objectiva entitatis non sit una in omnibus quæ sub entis notione comprehenduntur, licet 2° inter hæc omnia sit quædam habitudo. Etenim notio entis, in se una, dicitur de rebus simpliciter diversis (269), quæ tamen inter se aliquam habent relationem aut habitudinem. Hæc diversa habent idem nomen, *ens*; habent eumdem *conceptum*, [illegible]am semper concipiuntur ut id quod habet aliquam realitatem. Verumtamen huic conceptui *rationes ex-*[illegible]*m* non simpliciter respondent; ens finitum dicitur [illegible] a propria entitate, et non ab entitate entis infiniti; accidens dicitur ens a propria entitate, non ab entitate substantiæ, etc. Igitur *voci* et *conceptui* entis respondent diversæ rationes entitatis, nempe diversæ realitates, cum aliqua habitudine. Ergo notio entis est analoga. Hæc analogia est *attributionis sui generis*. Etenim ex una parte ratio hæc entis est plenissime in ente infinito a quo cætera entia dependent et mutuantur rationem entis; unde habetur analogia attributionis. Ex altera parte dicitur analogia sui generis, quia dependentia seu habitudo aliorum analogorum respectu analogi principis est absoluta, intrinseca et adæquata.

271. — *Corollaria*. I. In analogia entis, si spectetur realitas quæ nomini et conceptui respondet, non autem solum nomen, analogum princeps est ens infinitum, secundarium autem, entia finita, quæ ab ente infinito

habent, ut sint; res aliter se habet si agitur de nomine (1).

II. Rejicimus opinationem Giobertii, qui contendebat nomen *ens* soli Deo tribui posse.

272. — *Scholium* I. Rationes objective diversæ uno conceptu *indeterminato* exprimi possunt, licet conceptus *determinati* diversarum entitatum sint necessario diversi. Igitur quando rationes entium diversæ indeterminate et confuse, nempe prout sunt aliquid a nihilo distinctum, concipiuntur, in uno entis conceptu conveniunt, et ideo ratio entis, ut abstracta, est eadem; sed ut contracta seu ut participatur ab inferioribus, est diversa. Ex quo iterum colligitur illam esse analogam.

Scholium II. Utrum ens sit analogum ad sua inferiora propter *transcendentiam* vel propter *dependentiam* aliorum analogorum ab analago principe? Relictis subtilioribus scholasticorum disputationibus, puto rationem entis convenire omnibus inferioribus propter transcendentiam, et esse « analogam analogia attributionis » propter dependentiam.

II. De nihilo.

273. — Ens potest negatione attingi; porro negatio in eo consistit ut removeat quod attingit (64). Sed negatio potest attingere ens universim sumptum; hanc puram entis negationem *nihilum* vocamus. Nihilum ergo nullo modo per se intelligi potest, sed dumtaxat per respectum ad ens, quod removet, siquidem per negationem qua gignitur, tollitur quidquid habebat rationem entitatis, seu intelligibilitatis positivæ.

Nihilum dividi solet in *positivum* et *negativum* : dicitur positivum quum removet ens sumptum pro eo quod existit, seu pro existente : dicitur negativum quando ens removet sumptum pro eo quod habet realitatem.

III. De divisione entis in communi.

274. — Ens in communi dividi solet in ens reale et ens rationis. Ens *reale* est illud quod intelligitur ut realitas aliqua quæ extra mentem existit, aut saltem existere potest. Ens *rationis* illud est quod a ratione concipi-

(1) Vide S. Thom. I p. q. 18 a 6.

tur ad modum entis, cum tamen in se entitatem non habeat, v. gr. : *tenebræ*, aut *cæcitas*. Ens rationis , juxta plures, non est idem ac ens *logicum*, quod sumeretur tantum pro denominatione extrinseca, ab operationibus petita per quas aliquid dicitur prædicatum,subjectum, definitio, genus, species, etc. : ens logicum vocari solent secundæ intentiones objectivæ.

Hic ultimus modus intelligendi, licet nihil reale exhibeat, nullam tamen involvit falsitatem; nam per hos conceptus non affirmamus esse res quæ non sunt, sed tantum de iis quæ non sunt cogitamus ad modum eorum quæ sunt.

Ens reale dispescitur in *actuale* et *possibile*. Dicitur actuale, quando concipitur ut *actu* existentiam habens : dicitur possibile, quando consideratur in quantum existentiam *habere potest*. De aliis divisionibus suo loco agemus.

Entia rationis etiam varia sunt. Dicuntur entia rationis 1° eæ combinationes idearum quæ aliquid impossibile exhibent; v. g., circulus quadratus; 2° negationes et privationes quæ per modum entis positivi apprehenduntur; v. g., cæcitas; 3° relationes, quæ vel ex toto, vel ex parte finguntur ab intellectu; v. gr. relatio entis cum semetipso. Dicuntur *entia*, quia aliquam analogiam habent cum ente reali : cogitantur ad modum entis realis. Dicuntur entia *rationis*, quia quidquid habent, a sola ratione mutuantur.

ARTICULUS II.

De essentia.

I. De conceptu essentiæ (*a*).

275. — In ente potest considerari id quo ens constituitur in propria natura; et illud constitutivum entis dicitur *essentia* (1), quæ proinde est id quod concipitur ut primum et radicale, ac intimum principium omnium

(*a*) D. Thom. cap. 1. *De ente et essentia;* in VIII, Metaphysic. lect. III; p. 1. qu. 16, art. 7 ad 1, qu. art. 1, qu. 25, art. 3.

(1) Essentia dicitur etiam 1° *ratio* rei, quia ipsa est ratio ob quam res est id quod est, 2° *forma*, quia forma, ut postea dicemus, est id quo res in propria specie constituitur.

quæ enti conveniunt. Definiri solét: *Id quo res est id quod est.* Tamen animadvertendum est hic non agi de definitione proprie dicta; essentia enim, non secus ac ens, stricte definiri nequit, licet declarari possit.

Explicatur data definitio. In qualibet re sunt 1° quædam notæ sine quibus hæc res concipi nequit : v. gr. in conceptu hominis, notio *animalitatis* et *rationalitatis;* in conceptu trianguli, notio *angulorum* numero trium; sunt etiam 2° aliæ notæ sine quibus intelligi potest quid res sit : v. g. in conceptu hominis notio coloris, figuræ, etc. Primæ notæ ipsam essentiam rei constituunt, quia sine ipsis hæc rès amplius non esset, neque ut talis concipi posset; secundæ notæ, quæ ens ipsum non constituunt, sed quodammodo perficiunt, dicuntur accidentia essentiæ. Essentia ergo est complexus notarum constitutivarum, quæ rem ipsam, ut talem, constituunt, et ideo *essentia* est id quo res constituitur id quod est.

Essentia a Scholasticis nuncupari solet *quidditas,* eo quia per eam responsum redditur interrogationi : *Quid res sit;* huic enim percontationi respondetur sive per *nomen rei proprium,* quod confusæ notioni essentiæ respondet, sive per *definitionem,* quæ distinctam essentiæ notionem exhibet.

Ex dictis patet omnes essentiæ definitiones, quæ dari solent, eodem recidere. Quando enim a quibusdam definitur : *id quod primo de ente concipitur,* aut ab aliis : *principium eorum omnium quæ enti necessario insunt,* semper exhibetur essentia ut id quo res constituitur.

276. — Essentia est primum principium omnium entis attributorum. Sed quando essentia speciatim consideratur ut principium activitatis, dicitur *natura,* quæ proinde est aptitudo entis ad operandum. Igitur discrimen inter essentiam et naturam, in eo est quod essentia absolute denotat id quo ens constituitur, dum natura est essentia, non absolute spectata, sed relative, nempe quatenus est fons actionum (1).

277. — Rerum essentia dividitur in physicam et metaphysicam. Dicitur *physica,* quando essentialia rei constitutiva ad quæ attendimus, sunt partes reales. Appellatur *metaphysica* et etiam *notionalis,* quando coa-

(1) S. Thom. *de ente et essent.* cap. I.

lescit constitutivis rei metaphysicis, seu partibus notionalibus, nempe genere et differentia.

Essentia metaphysica a physica non distinguitur nisi *ex modo concipiendi*, nam utraque realem essentiam repræsentat, siquidem essentia metaphysica non est arbitraria. Essentia physica coalescit elementis physicis, quæ proinde considerantur prout enti insunt, et *in ipso* sunt ab invicem distincta, i. e. absque mentis præcisione, dum essentia metaphysica per elementa notionalia determinatur, quæ ab invicem non distinguuntur nisi per mentis præcisionem, et possunt prædicari singillatim de toto ente, quod determinant. Sed elementa sive physica sive notionalia semper essentiam realem objecti exprimunt, ac proinde essentia metaphysica non differt a physica, quia esset tantum *intelligibilis*, dum altera sola esset *realis;* sed dumtaxat quoad modum concipiendi ens quod determinant, inter se differunt istæ essentiæ.

II. De essentiarum realium cognitione.

278. — Thesis I. *Essentiæ rerum naturalium non sunt nobis prorsus ignotæ, licet eas imperfecte admodum cognoscamus.*

Nota. Prima pars theseos stabilitur tum contra errorem Lockii, qui putabat essentias notionales esse arbitrarias, incertas et prorsus nominales, tum contra positivistas, qui repellunt quidquid experientia sensibili non attingitur (1).

Probatur. Si essentiæ rerum intelligibiles essent prorsus incertæ, nullius rei notitiam immutabilem et certam haberemus; res enim non sunt *immutabiles* quoad existentiam, sed tantummodo quoad *essentiam.* Atqui aliquando notitiam rerum naturalium certam et immutabilem habemus, ut experientia constat. Etenim quosdam habemus conceptus qui simul sunt immutabiles et certo repræsentant *physica rerum constituentia.* V. g. hominem cognoscimus ut constantem corpore organico et animo immateriali, vel ut animal ratione

(1) Valet etiam, licet minus directe, contra ontologistas rigidiores, qui docent res creatas non esse intelligibiles in seipsis, sed solum in Deo, unico intelligibili.

præditum; item, animal cognoscimus ut vivens sensu præditum. At istæ definitiones competunt omnibus individuis sub specie aut genere contentis, ac proinde exprimunt *id quod est constitutivum* ipsius esse eorum. Ergo rerum naturalium essentiæ, quæ hisce conceptibus repræsentantur, non sunt nobis prorsus ignotæ.

Secunda pars : Verumtamen nonnisi imperfecte multas essentias cognoscimus.

Probatur. Intellectus res naturales cognoscere nequit nisi sensibili perceptione juvetur. Atqui sensitiva cognitio non attingit nisi qualitates externas aut quosdam effectus, non autem ipsam essentiam. Ergo intellectus, qui essentiarum hujusmodi notitiam determinatam ope perceptionum sensibilium acquirit, nonnisi per aliquam ratiocinationem ad earum cognitionem pertingit; quapropter imperfecte eas cognoscit.

279. — *Scholium.* 1° Intellectus *immediate et intuitive* non attingit *intimas* rerum naturalium essentias, nempe completam et specificam essentiam; sed ad hoc eget diligenti experientia et ratiocinio. 2° Verumtamen immediate eas percipit sub aliqua ratione universaliore et indeterminata, puta, sub *ratione entis*, *rei* aut *subjecti*, etc. Igitur nostra cognitio eorum quæ esse intimum rerum naturalium constituunt non est intuitiva et a priori, sed arguitiva et a posteriori; fit ope proprietatum quas sensus referunt, et mediante ratiocinio.

Verum si non ageretur de essentiis rerum naturalium, sed tantummodo de essentiis rerum illarum quæ ab intellectu humano efformantur, aliter dicendum foret, ut per se patet : earum constitutiva mens ignorare nequit.

III. De essentiarum intelligibilium dotibus.

280. — Thesis II. ***Essentiæ intelligibiles rerum sunt indivisibiles.***

Nota. Istæ essentiæ non dicuntur indivisibiles, quia simplices, cum sint compositæ utpote definibiles definitione proprie dicta seu ex genere et differentia; sed sunt indivisibiles, quia principia eorum conjunctim sumi debent.

Probatur. Illud in præsenti dicitur indivisibile, ex quo nihil detrahi potest quin destruatur. Atqui essentiæ rerum non possunt minui nec augeri, quin perimantur, seu quin res illæ in alias immutentur. *Exemplum* ab Aristotele adhibitum : Quaternario si unitatem addas vel demas, alium numerum statim habebis, sed non amplius quaternarium. Ita si definitioni animalis aliquam notam addas vel demas, non erit amplius essentia animalis : si demas notam sensibilitatis, habebis plantam; si addas notam rationalitatis, habebis hominem. Ergo rerum essentiæ sunt indivisibiles.

Sch. Evidens est quod si ageretur de essentia physica composita, v. g. de homine, ea posset resolvi in suas partes; sed hic quæritur tantum utrum essentia eadem possit minui vel augeri *notis* ad essentiam spectantibus.

281. — Thesis III. ***Essentiæ rerum intelligibiles sunt immutabiles et necessariæ.***

Probatur. Essentia est id quo ens quodcumque constituitur id quod est (275) : quamobrem si mutaretur, illud ens fieret quod non erat, seu aliud ens. Ergo si essentia alicujus rei esset mutabilis, illa res posset ***non esse id quod est***, aut esse id quod non est, quod apertam involvit contradictionem. Ex. : essentia quadrati variari nequit; latus aliquod non reciperet vel amitteret quominus desinat esse id quod est, seu quadratum. et fiat id quod non est, seu triangulum aut pentagonium. Hinc essentiæ rerum sunt immutabiles, ac proinde necessariæ.

282. — *Scholium.* Mutationes fiunt in rerum natura, sed istæ mutationes non afficiunt essentias. Essentiæ singulares aliis succedunt quæ existere cessant; sed id non importat mutationem essentiæ communis, seu intelligibilis, de qua agitur; existentiæ duntaxat mutantur.

283. — Thesis IV. ***Essentiæ rerum sunt æternæ.***

Nota. Agitur de statu intelligibilitatis, non vero de statu existentiæ.

Probatur. 1° Essentiæ rerum solis constant constitutivis rei determinatæ. Atqui non aliquando cœpit esse ve-

rum, sed semper verum fuit, ac necessario verum est, hanc rem determinatam constare, his constitutivis, et non aliis. Ex. : triangulum non aliquando cœpit habere tria latera et tres angulos, sicut spiritus non aliquando cœpit esse id quod a conditione materiali liberum est. Ergo essentiæ rerum, in se et abstracte cogitatæ, prorsus præscindunt ab existentia, et ideo ab omni ratione temporis, ac proinde sunt æternæ, sensu saltem negativo.

2° Præterea essentiæ rerum, cum præscindant ab existentia, præscindunt etiam ab omni ratione temporis, et alias ante omne tempus a Deo fuerunt cognitæ. Ergo sunt æternæ.

284. — *Corollarium.* Essentiæ etiam dici possunt *indefinitæ*, non autem quoad comprehensionem, sed quoad extensionem : possunt enim de individuis indefinite prædicari.

ARTICULUS III.

De existentia et possibilitate.

285. — Ens generalissime sumptum est id quod habet aliquam realitatem, (267). Sed id quod habet aliquam realitatem, aut illam habet actu, et tunc dicitur *ens in actu*, seu existens; aut illam habere *potest*, licet actu hanc non habeat, et tunc dicitur *ens in potentia*, seu *possibile*.

Ens possibile et ens existens in aliquo conveniunt et in aliquo discrepant. Conveniunt, quatenus proprie dicuntur entia : ens enim significat rem, abstractione facta existentiæ vel non existentiæ. Opponuntur, quatenus ens in actu includit *existentiam*, dum ens in potentia hanc excludit, et est duntaxat in ordine intelligibili et metaphysico. Ens existens, ut per se patet, est in ordine physico et in ordine metaphysico; actualitas enim necessario subaudit possibilitatem. In duobus paragraphis distinctis agemus de hac primordiali divisione entis realis.

§ I. De existentiæ notione.

286. — Existentiæ notio est adeo simplex et clara, ut definiri simul nequeat et non debeat; quando igitur sequentibus modis describitur, istæ definitiones nihil

perspicuitatis conferunt conceptui existentiæ: *actualis rei præsentia in ordine physico; ultima rei actualitas in linea entis; id quo res sistitur extra causas; actualitas essentiæ*, etc.

Vox existentiæ, juxta etymon : *ex sistere*, significat emersum rei ex alia re, id est, ex causa vel possibilitate; sed prout communiter sumitur, abstrahit ab hac significatione, nempe a conceptu derivationis seu emanationis ex alio.

287. — Controversia fuit inter Scholasticos utrum existentia ab essentia realiter necne distinguatur. Sed imprimis notandum esse, certum esse apud omnes essentiam et existentiam *entis* increati non distingui, ut suo loco ostendemus; agitur tantum de essentia et existentia entis creati.

1° Prima sententia, quæ existimatur opinio sancti Thomæ (1) atque generatim propugnatur a Thomistis, præsertim veteribus, affirmat existentiam esse rem quamdam seu modalitatem distinctam omnino realiter in creaturis ab entitate essentiæ (2). Sed dum probant hanc sententiam, id plerumque intelligunt de *essentia generatim sumpta*, non autem speciatim de essentia *reali et physica*, ac proinde probatio extra statum quæstionis evagatur. Sunt tamen quidam Thomistæ, *recentiores* præsertim, qui probationes instituunt de discrimine inter essentiam realem ac physicam et existentiam (3).

2° Secunda sententia, quæ Scoto tribuitur atque a nonnullis ejus scholæ propugnatur (4), affirmat existentiam creatam differe *formaliter* ab essentia cujus est esse, non autem esse entitatem realiter distinctam ab entitate essentiæ, sed duntaxat modum ejus. Hæc sen-

(1) Quoad D. Thomam, non constat illum in hac sententia fuisse, quando agitur de essentia et existentia in actu; vid. Hurtado, Metaphy. disp. VIII § 3 et 4, et præsertim P. Limbourg, *de distinctione*. etc Aliqui recentiores afferunt quædam verba S. Thomæ sumpta ex cap. 5 op. de *Ente et essentia*, ut ostendant doct. Angelicum realem admisisse distinctionem; sed hæc verba manifesto agunt de ordine possibilitatis seu de essentia in abstracto. (Vide P. Limbourg. l. c.)

(2) Goudin, *Metaphys.* q. I. a., Essent. et Existent. thes 3.

(3) Liberatore, *Metaphys. gen.*, c., I a., 3.

(4) Vide Frassen. *Metaphys.* disp. II. cap. II. s. 3, q. 2.

tentia fundatur in aliqua Scotistarum distinctione quam refellemus, ac proinde de hac sententia nihil dicendum in præsenti.

3° Tertia opinio, quam tenet Suarez, post Alexandrum Halensem et plures Scotistas, affirmat essentiam et existentiam alicujus creaturæ ratione tantum distingui (1). Veritatem hujus sententiæ propugnamus in thesi sequenti :

288. — Thesis. *Essentia actualis et producta non re, sed ratione tantum differt ab existentia.*

Nota. 1° Non agitur de *conceptibus* essentiæ et existentiæ, qui certe sunt distincti; nam de essentia rei cogitare possumus, quin ad ejus existentiam attendamus.

2° Essentia *abstracta* realiter distinguitur ab existentia actuali, necnon essentia existens ab essentia abstracta.

3° Agitur de entitate essentiæ realis et productæ respectu existentiæ entis, quod hanc essentiam realem habet; et in hoc sensu thesim probamus.

Probatur 1ª *pars.* Cum essentia extra causas suas et extra mentis conceptum constituitur, *actu est.* Atqui actu esse et existere idem sonat. Ergo essentia realis non est aliud ac existentia, ac proinde non re, sed ratione tantum, ab ipsa distinguitur.

Ad *majoris* intelligentiam animadvertendum est essentiam, de qua agitur, esse aliquid in ordine physico, seu realitatem physicam extra causas sistentem; eatenus enim differt ab essentia abstracta et possibili, quatenus est aliquid in ordine physico, dum essentia possibilis est nihil in ordine physico.

Atqui, ut diximus in *minore,* actu esse et existere idem est. Etenim existentiæ nomine nihil aliud intelligitur, in rebus creatis, nisi id per quod istæ res creatæ desinunt esse nihil in ordine physico, seu non *continentur amplius in solo ordine ideali.* Porro hæc omnia conveniunt entitati essentiæ realis. Ergo essentia realis non re distinguitur ab existentia (2).

(1) Suarez, *Disp. metaphys.* t. II, disp. XXXI. Vide etiam Hurtado, Metaph. disp. VIII s. 6; etc.

(2) Vide P. Palmieri fuse disputantem de hac distinctione, Ontol. c. I th. 3.

2ª *pars*. Nihilominus ratione distinguitur cum fundamento in re, nam 1° conceptus essentiæ non est idem ac conceptus existentiæ seu non iisdem notis constat definitio essentiæ et definitio existentiæ; deinde 2° contingentia seu actualitas quæ est de ratione ejusmodi existentiæ, suppeditat fundamentum distinctionis, cum essentia, ut sic, prescindat a contingentia seu actualitate. Ergo.

289. — *Schol.* Sententia Thomistarum adstruitur præsertim ex eo quod essentia realis et existentia quoddam compositum efformant in quo essentia se haberet ut potentia physica ad esse actuale recipiendum, dum existentia esset actus quo hæc potentia compleretur (1).

Sed hoc argumentum non cogit. Etenim illud compositum non potest esse nisi metaphysicum; nam essentia non potest concipi in potentia, quominus concipiatur ut possibilis seu *idealis*, siquidem essentia realis ab ideali distinguitur ut ens in actu ab ente in potentia. Ergo.

§ II. De ente possibili (*a*).

I. Quid et quotuplex sit possibilitas?

290. — Quod existit, existendi capax erat antequam existeret. Prout concipitur aliquid ut existendi capax, sed nondum existens, dicitur *possibile*; possibilitas igitur idem est atque *aptitudo ad existendum*; id vero quod non est et esse potest, *possibile purum* dicitur.

291. — Possibilitas est duplex, scilicet 1° intrinseca seu *formalis* aut *absoluta*, 2° extrinseca seu *causalis* aut *relativa*.

Possibilitas *intrinseca* est aptitudo ad existendum orta ex eo quod rei constitutiva repugnantiam ad invicem

(1) Ita D. Vallet, Præl. ph. ont. pars I a. 3 : « Sicut *potentia* et actus, ita essentia et existentia reali discrimine secernuntur » ; tamen antea fassus est « non agi de essentia abstracta et *mere possibili...* » At potissimum in probationibus, perpetuo confundit essentiam possibilem cum essentia reali et physica, de qua unice agitur, ceu ipse monet. Etenim distinctionem realem probat 1° quia existentia non ingreditur essentiam, cum *definitio* essentiæ non includat definitionem existentiæ; 2° quia illa sunt *realiter* distincta quæ *notis* diversis apprehenduntur, et quia existentia est quid rei intrinsecum! Igitur vel pura petitione principii, vel confusione inter essentiam abstractam et realem assumptum probat.

(*a*) S. Thom. p. 1. qu, 25, art. 3; in IX *Metaphysic.* lect. 3.

non habent : v. gr., possibilitas picturæ. Dicitur etiam possibilitas *metaphysica*, vel *logica :* possibile enim logicum est ille specialis modus compositionis cujus termini non includunt contradictionem.

Possibilitas *extrinseca* est aptitudo ad existendum procedens ex virtute causæ quæ idonea sit ad rem producendam : v. gr., possibilitas picturæ ab artifice; dicitur etiam possibilitas *physica :* possibile enim physicum latius sumptum est id omne quod potest esse terminus alicujus potentiæ productivæ quando formaliter consideratur in ordine ad hanc potentiam. Possibilitati physicæ aliquando opponitur moralis quæ, præter efficaciam causæ, dicit aliquam propensionem ad agendum.

Dicitur moralis quia rei possibilis effectio conformis est consueto modo agendi causæ, seu communibus agentium moribus.

Possibilitas quæ utrumque complectitur, seu intrinsecam et extrinsecam dicitur *adæquata.*

Possibilitas intrinseca est absoluta, dum possibilitas extrinseca relativa est ad vires causæ; hinc id quod respectu unius causæ foret impossibile, respectu alterius, possibile esset. In ordine ad Deum omnia quæ intrinsece sunt possibilia, extrinsecam habent possibilitatem.

II. De impossibilitate.

292. — Id quod opponitur possibilitati est impossibilitas : impossibile igitur est *id quod ad existentiam devenire nequit.*

Quando impossibile aliquid dicitur eo quod in suis constitutivis contradictionem continet, ut triangulum quadratum, est impossibilitas *intrinseca.* Impossibilitas erit *extrinseca* quando aliquid ad existentiam devenire nequit ob defectum virtutis ex parte causæ. V. g. actio simultanea ejusdem hominis in locis longe dissitis, aut efformatio alicujus rei ex nihilo ex parte causæ creatæ; hæc impossibilitas etiam dicitur *physica.*

Impossibilitas *moralis* nuncupatur quando, illud quod dicitur impossibile, præ circumstantiis, ab homine fieri non solet, ac proinde ejus effectio repugnat communibus hominum moribus, *licet absolute ab homine perfici possit.*

Ad impossibilitatem moralem rite intelligendam, plura sunt animadvertenda : 1° Actio, quæ dicitur moraliter impossibilis, non exsuperat vires physicas hominis. Verumtamen 2° pondus difficultatis est tale ob adjuncta, quod non compensetur a bono actionem consequente. Quando ergo bonum est valde exiguum, et difficultas est omnino magna, tum vero actio dicitur moraliter impossibilis, quia tunc communiter homines agere non solent.

Cum difficultas sit major aut minor respectu diversorum hominum, et præterea cum bonum quod ex actione consequeretur, possit esse majus aut minus in existimatione agentis fit quod impossibilitas moralis non possit semper facile determinari.

III. De indole possibilium.

293. — Thesis I. *Possibile est aliquid.*

Probatur. Nihilum purum est id quod existentiam acquirere non potest, ac proinde nunquam *aliquid* est. Atqui possibile existentiam acquirere et *aliquid physici* esse potest. Ergo non est nihilum. Est aliquid,non physicum, sed ideale, nimirum in intellectu existens formaliter.

294. — Thesis II. *Possibilia æterna sunt.*

Probatur. Possibilia, quæ realitatem habent in intellectu tantum, sunt æterna si intellectus æternus sit, qui ea semper cognoverit. Atqui intellectus divinus possibilia semper cognovit. Ergo sunt æterna.

Præterea possibilitas, qua talis, a qualibet temporali determinatione præscindit, et exinde ordinem dicere potest ad omnia tempora, quæ proinde prætergreditur.

IV. De possibilitatis intrinsecæ origine.

295. — Thesis III. *Interna rerum possibilitas nec* 1° *a rebus in mundo existentibus pendet, nec* 2° *ab intellectu nostro.*

Probatur prima pars. 1° Aptitudo ad existendum est ante ipsam existentiam. Ergo impossibile est ut possibilitas ab existentibus creatis pendeat.

2° Possibilia, ut sic, sunt immutabilia, universalia, æterna. Atqui res in mundo existentes sunt mutabiles, singulares, temporaneæ. Ergo nisi æternum pendeat a temporaneo, immutabile a mutabili, etc., possibilia pendere nequeunt a rebus in mundo existentibus.

Probatur secunda pars. Si possibilia penderent ab intellectu nostro, possemus pro libito mutare relationes idearum, possibile reddere id quod antea erat intrinsece impossibile et vice versa : v. gr., circulus, ad nostrum libitum esset quadratus vel rotundus. Atqui evidens est id fieri non posse. Ergo possibilia non pendent ab intellectu nostro.

296. — Thesis IV. *Interna rerum possibilitas non pendet a potentia divina, ut putaverunt Ocham et quidam Scholastici.*

Probatur. Si hæc opinio esset vera, possibile diceretur id quod a Deo effici potest, et impossibile id quod a Deo effici nequit. Atqui id importat limitationem divinæ potentiæ; nam hæc potentia sine ulla objectiva ratione, sed respectu sui, ad illa se extendere non posset. Ergo hæc sententia divinam inficiatur omnipotentiam, quæ ad omnia se extendere per se non valeret.

297. — Thesis V. *Interna rerum possibilitas non pendet a divina voluntate, ut Cartesius adstruxit.*

Probatur. Nihil volitum quin præcognitum, ut fert effatum scholæ. Atqui si interna possibilitas penderet a divina voluntate, possibilia essent volita priusquam cognita : esse enim a voluntate accipiunt; porro in tantum sunt objectum cognitionis in quantum sunt.

Deinde intellectus divinus penderet a voluntate quoad rerum cognitionem : cognitio enim præsupponit objectum, quod in data hypothesi a sola voluntate determinaretur. Ergo impossibile est ut interna rerum possibilitas pendeat a voluntate divina.

Præterea in opinione Cartesiana, Deus pro libito efficere posset ut amplius non repugnet *ens non esse* aut *Deum non esse,* ac proinde semetipsum annihilare quiret.

298. — Thesis VI. *Intrinseca possibilitas et impossibilitas ex ipsis rerum essentiis emergit.*

Probatur. Possibilitatem determinamus ex *sociabilitate* idearum, et impossibilitatem ex earum *repugnantia.* Atqui ideæ congruunt vel discrepant quia entitates, quas repræsentant, sunt id quod sunt, et conveniunt aut se excludunt. Ergo entitates, quatenus sunt id quod sunt seu essentiæ, sunt fons possibilitatis.

299. — Thesis VII. *Omnis possibilium intelligibilitas a divina essentia dependet, quatenus divini intellectus objectum est.*

Animadvertendum 1° Essentiam divinam esse *imitabilem* pluribus modis, qui essentias possibiles constituunt. Dum intellectus divinus hos modos imitationis cognoscit, efformat archetypas rerum ideas.

Hinc 2° « Omnia possibilia, ut ait Lessius, continentur in essentia divina, tanquam in *originali radice*, et quasi in *exemplari virtuali* et *radicali;* in *sapientia*, tanquam in *exemplari formali*, in quo etiam existunt objectivo modo perfectissimo et illustrissimo (1). »

Hac præmissa explicatione, probatur thesis.

Essentia divina perfectissima est, ac proinde omnis possibilis essentiæ prefectionem præcontinere debet. Atqui Deus cum seipsum perfecte cognoscat, debet cognoscere omnes modos secundum quos ipsius essentia est imitabilis, seu quod idem est, ipsas essentias rerum finitarum. Ergo 1° istæ essentiæ, tanquam sui *fundamentum*, habent essentiam divinam, et 2° *actualitatem* logicam æternam in divino intellectu obtinent : itaque *intelligibilitatem* ex divina essentia, prout in se est et intellectui divino objicitur, accipiunt.

Hæc omnia in Theologia fusius tractantur.

CAPUT II.

DE AFFECTIONIBUS COMMUNIBUS ENTIS IN COMMUNI.

300. — Ens quibusdam proprietatibus fruitur, quæ in duos ordines distribui solent, scilicet 1° in proprietates *incomplexas* et *simplices*, unico scilicet vocabulo expressas atqui omni prorsus enti singulæ convenien-

(1) De Perfectionibus Moribusque divinis, lib. V, cap. II, § 10.

tes; 2° in *complexas seu compositas*, quæ omni enti singulæ non conveniunt. De prioribus in præsens agitur.

Proprietates incomplexæ, seu communes entis affectiones, *aut passiones*, per se ac proprie enti, ut sic, convenire debent, non ita tamen ut ex rei natura ab ipso distinguantur. In re sunt ipsum ens, sed sub diverso respectu a ratione perspectum.

At licet istæ communes affectiones realiter ab ente non distinguantur, quodammodo tamen ab illo distingui debent, secus non essent ejus proprietates. Sunt numero tres : unitas, veritas et bonitas. De his tribus in totidem articulis agemus.

Sed oppositorum eadem est scientia, ut fert quidam scholæ aphorismus, cujus veritas inde patet quod unum ex oppositis alterius negationem simpliciter importat; porro mensura negationis est ipsa positio, et exinde contrariorum communis quædam est norma : de oppositis igitur simul eloqui fas est et expedit.

Hinc agemus in primo articulo, de unitate et multitudine; in secundo, de veritate et falsitate; in tertio, de bonitate et malo.

ARTICULUS I.

De unitate et multitudine (a).

301.—Unum definitur: *Quod est indivisum in se*. Statim enim ac ens dividitur, unius entis conceptus tollitur, eique succedit notio *multitudinis*. Si vero unitas sit carentia divisionis, nequit esse aliquid ab ente distinctum. Unitas igitur enti nihil positivi addit, sed duntaxat negationem divisionis denotat (1).

302. — Triplex communiter a metaphysicis statuitur unitas, scilicet : *transcendentalis individualis*, seu *numerica*, et *formalis*.

Prima est ipsa rei entitas a qua omne ens habet quod sit indivisum in se; et hæc unitas competit omni enti, ac proinde ad omnes species unitatis se extendit.

(a) Cf. D. Thom. qq. disp. *De Veritate* qu. 1, art. 1; p. 1, qu. XI, art. 1 et 2; p. III, qu. 73, art. 2.

(1) Ita D. Thomas, Suarez, Fonseca, etc, contra Scotum et totam ejus scholam, Vasquez, Hurtado, etc. Vide argumenta utriusque sententiæ apud de Rhodes, Phil. perip. lib. IV, disp. 3, q. 2 s. 1.

Appellatur transcendentalis, quia ita reciprocatur cum ente, ut simul cum ipso transcendat omnia rerum genera.

Secunda est qua individuum est intrinsece indivisum in plura inferiora, seu multis, tanquam inferioribus, non est communicatum : hinc omni et soli naturæ individuali congruit. Proprie igitur est ipsa rei alicujus entitas cum negatione communicabilitatis ad plura inferiora.

Tertia est indivisio essentiæ in se consideratæ, nempe indivisio rei in plures essentias dissimiles.

Ad unitatem formalem reduci potest unitas *universalis* seu rationis, quæ competit naturæ præcisæ a singularibus, et per modum unius ad ea comparatæ. Dicitur unitas *rationis*, quia extra mentem, scilicet in rebus, non invenitur.

§ I. De unitate transcendentali.

I. De unitate.

303. — Unitas transcendentalis diversos habet gradus, pro ratione qua ens divisionem a se removet :

1° Est unitas perfectissima, seu *indivisibilitas*, qua fruuntur entia, quæ nec actu divisa sunt, nec dividi possunt, ut omnia entia simplicia.

2° Unitas *compositionis*, quæ prodit ex eo quod plura, inter se aliquo modo diversa, a natura, arte vel casu habent ut sint unum; v. g., corpus partibus coalescens. Subdividitur in *hypostaticam*, *physicam* et *moralem*, prout illud *unum* quod resultat ex partibus diversis, est *persona*, *natura* vel quidam *ordo*. Præ ratione qua partes ad invicem ordinantur subdividitur etiam in *naturalem*, *artificialem* et *aggregationis :*

1° Unitas quæ constat ex elementis quæ a natura habent ut sint unum, qualia sunt materia et forma, dicitur *naturalis*.

2° Unitas *artificialis* constat ex iis quæ non a natura sed ab arte habent ut sint unum; v. g. domus, horologium, etc.

3° Unitas *aggregationis*, quæ oritur ex eo quod plura, non a natura, neque ab arte, sed a casu habent ut sint unum, quia scilicet contigua sunt; v. g. lapidum acervus.

Unitas artificialis et aggregationis, est etiam unitas *per accidens*, seu secundum aliquod accidens, dum unitas indivisibilitatis et naturalis facit ens unum *per se*, seu secundum ipsum esse quod est et dicitur unum (1). Omnia enim entia quæ uniuntur ad primum conceptum rei, sive composita sint realiter, sive ratione, habent unitatem per se; quia unitas per se sequitur ens per se, et unitas peraccidens, ens per accidens.

II. De multitudine et numero.

304. — Unitati opponitur multitudo, quæ habetur quando divisio in ente concipitur. Hinc potest definiri: *Entium divisio*. Ergo ad multitudinem constituendam sufficit aliqua divisio, quæ unum in plura ita resolvat, ut quodlibet eorum non sit aliud, licet hæc plura possint inter se aliquo nexu conjungi; v. g. membra corporis. Eadem igitur res potest esse secundum aliquam rationem una, secundum aliam, multa : v. g. essentia rei est una, licet partes essentiales et integrales sint plures.

305. — Cum mens multitudinem percipit et in unum colligit ob aliquam rationem communem, concipit *numerum*, qui est *collectio unitatum in aliqua communi forma convenientium*. Idea numeri ergo constat : 1° unitate, 2° divisione, 3° similitudine. Quando similitudo est determinata, v. g. duo homines, numerus est *concretus*; quando est indeterminata, seu ex notione transcendenti repetitur, numerus dicitur *abstractus*, v. g. duo.

Unitas mathematica, quæ est unitas ut elementum numeri, conceptui unitatis addit quod sit unitas in *genere quantitatis*.

§ II. De unitate individuali.

306. — Unitas individualis opponitur universali, et individuum afficit, quod multis, tanquam inferioribus, non est communicabile.

Individuum definitur : *Id quod in plura, talia quale ipsum est, dividi nequit*.

(1) Vide diversas descriptiones unius *per se* et unius *per accidens* apud Hurtado, Metaphys. disp. IV, s. 3, qui sic definit unum per se : Est res indivisa in se constans uno conceptu, vel pluribus constituentibus primum quidditativum conceptum rei, vel illam substantialiter integrantibus.

307. — Quærunt Scholastici quodnam sit principium intrinsecum individuationis, seu quid sit id quo res quævis existens est singularis, ac proinde quo individua similis naturæ inter se realiter distinguuntur, vel etiam, quod eodem recidit, unde sumatur unitas individualis ?

I[a] *Sententia.* Juxta S. Thomam ejusque scholam, principium individuationis est materia *signata* sive aliquibus accidentibus designata, aliis verbis materia quatenus est quantitate affecta, aut saltem habitudinem dicit ad quantitatem (1). Hinc Angeli, qui non sunt entia materialia, tot sunt species quot individua.

Præcipua ratio est quod illud esse debet principium individuationis quod est principium distinctionis; porro materia prima est principium ad multiplicandas res intra eamdem speciem, et est ipsa incommunicabilis. Sed Suarez ostendit quod si idem est principium individuationis et distinctionis, forma erit principium individuationis, quia *actus est qui distinguit.*

II[a] *Sententia.* Juxta Suarez, illud principium non stat in materia signata, sed in ipsa *realitate* seu entitate naturæ individuæ (2); unitas enim numerica stat in propria rerum entitate, quatenus illa habet negationem communicabilitatis. *Ratio* : Illud principium non potest esse aliquid distinctum ab ipsa natura individua, secus natura esset singularis et individua, antequam illud huic accedat. Atqui si fundamentum non est aliquid extrinsecum naturæ, debet esse aliquid illi intrinsecum, quod esse nequit nisi ipsa realitas naturæ individuæ. Etenim per suam entitatem seu realitatem quælibet res ab altera distinguitur. Tamen entitati debet accedere negatio communicabilitatis. Confirmatur quia anima humana, postquam separata est a materia et quantitate, manet eadem numero quæ erat ante separationem. Ergo... Qui fusiorem de hac re disputationem vult, adeat Suarez : *Met.*, v, sect. III, IV et V. Hurtado, Metap. disp. IV, s. 5; de Rhodes, lib. IV disp. 3, s. 2; etc. qui Suarezii sententiam propugnant.

(1) S. Thom. multis in locis, et speciatim in opusculo : *de principio individuationis.*

(2) Suarez, *Metaphys.*, disp. V.

§ III. De unitate formali.

308. — Unitas hæc quæ competit essentiis, ut sic, bifariam dividi potest. Prout sumitur ut indivisio essentiæ realis, nomen genericum unitatis *formalis* retinet. Prout concipitur ut affectio essentiæ intelligibilis, seu competit essentiæ a singularibus præcisæ, dicitur *universalis*, aut etiam *unitas rationis*, quia hæc unitas non est *realis*, ideo quod naturæ universales non sunt extra mentem concipientem. Unitas formalis est tota in uno individuo, dum unitas universalis nequit esse in unico individuo.

309. — Quæri potest utrum unitas formalis, quæ non est *universalis*, sed realis, re aut ratione tantum distinguatur ab individuali?

1° *Realiter non distinguuntur istæ unitates. Probatur* : Essentia realem hanc non habet unitatem nisi in individuis. Atqui unitas individualis stat in realitate naturæ individuæ(307). Ergo impossibile est ut unitas formalis sit realitas distincta ab unitate individuali.

2° *Ratione tamen distinguuntur*, siquidem unitas formalis potest concipi abstractione facta unitatis individualis. Ergo...

ARTICULUS II.

De veritate et falsitate ontologica (*a*).

§ I. De veritate.

310. — Veritas formaliter sumpta communiter definitur : *adæquatio intellectus et rei*, uti jam diximus in Logica (151), dum locuti sumus de veritate ejusque assecutione. Hæc definitio non est mutanda cum agitur de *veritate rerum*, sed tantum rite applicanda; nam sicut intellectus dicitur verus per comparationem ad res, ita res dicuntur veræ per comparationem ad intellectum.

Verum per se primo competit intellectui a quo derivatur ad res; unde res ipsa non potest dici vera nisi per

(*a*) Hanc quæstionem tractat angelicus qq. disp. *De veritate* præsertim qu. XVI; XXI; *De Bono*, art. 1; p. 1, qu. 16, art. 1, 3, q. 17 art. 1, 2; I Dist. v, art. 1.

analogiam aliquam cum ipso intellectu. Hinc conceptus adæquatus veritatis rerum hæc duo importat : 1° Realitatem seu entitatem rerum, et sic sumitur « fundamentaliter tantum, » 2° Ordinem ad intellectum : proinde describi potest veritas hæc : *Ipsa rerum entitas prout dicit ordinem conformitatis ad intellectum.* Est ergo ipsa cognoscibilitas objectorum.

Veritas hæc a veteribus *transcendentalis* dicebatur, quia ratio entis, ac proinde ipsa entis habitudo ad intellectum, transcendit omnes categorias; a recentioribus *metaphysica* appellatur. Ex altera parte, quatenus cognoscibilitas non est formaliter, sed tantum fundamentaliter, adæquatio rei et intellectus, hæc veritas dicitur *fundamentalis*, ad discrimen veritatis logicæ, seu quæ est in actu intelligendi; hæc enim dicitur etiam veritas *formalis*. Itaque veritas transcendentalis dicitur veritas in essendo, et formalis, veritas in repræsentando.

Quando speciatim consideratur relatio conformitatis potest hæc referri sive ad intellectum practicum seu ad intellectum opificis, sive ad intellectum speculativum seu creatum.

311. — Thesis I. Per se *et* absolute *res naturales veræ sunt per ordinem ad intellectum divinum.*

Probatur. Res naturales *primario veræ* sunt per comparationem ad intellectum artificis a quo constituuntur id quod sunt. 1° Sunt *veræ*, nam si opus conceptui artificis seu typo dispar esset, jam deficeret adæquatio rei et conceptus, seu veritas. 2° Sunt *primario* veræ, nam hæc comparatio est essentialis, ac proinde omnino primaria. Atqui iste intellectus artificis, cui referuntur res naturales, tanquam ad typum agentis, est intellectus divinus. Ergo res per se et absolute dicuntur veræ per respectum ad intellectum divinum, seu ad archetypas ideas ad quarum exemplar conditæ sunt.

312. — Thesis II. *Res naturales veræ etiam dicuntur per ordinem ad intellectum creatum, sed secundario et per accidens.*

Probatur 1ª *pars.* Veritas formaliter spectata importat aliquam conformitatem ad intellectum. Atqui hujus-

modi adæquatio locum habere potest cum intellectu creato. Ergo...

Probatur 2ª *pars*. Sed hic ordo rei veræ ad intellectum creatum est *secundarius*, nam res veræ non constituuntur per respectum ad intellectum creatum (311). Veræ etiam denominantur *per accidens* cum ideis nostris adæquantur, nam veritatem habent, non quia ideis nostris adæquantur, sed quia sunt conformes ideis æternis.

313. — *Corollarium* I. Res creatæ comparantur ad intellectum divinum ut *mensuratum ad mensuram*. Etenim intellectus divinus est intellectus practicus qui res ipsas causat; sed mensuratio rerum est tantum in hoc intellectu a quo fiunt. Res nihil aliud sunt quam externa repræsentatio idearum archetyparum.

Idem dicendum est de rebus arte factis respectu cujuslibet artificis; conceptus artificis est norma sui operis.

Sed est hoc discrimen inter supremum artificem et artificem creatum, quod supremus artifex nunquam in suo actu efformandi opus potest deficere ab ideis quibus efficientia dirigitur, dum artifex creatus aliquando virtute caret adæquandi suum opus conceptui seu typo.

314. — *Corollarium* II. Res naturales comparantur ad intellectum creatum ut *mensura* ad *mensuratum*. Intellectus enim creatus est mere *speculativus* respectu rerum naturalium, ac proinde eatenus est verus, quatenus eas cognoscit ut sunt in se; res illæ igitur mensurant hunc intellectum.

315. — *Schol*. Quærunt Scholastici quomodo veritas transcendentalis se habeat ad ens, cujus est affectio aut proprietas (300). Verior simul et planior sententia ea est quæ docet veritatem addere enti relationem conformitatis ad intellectum. Hujus sententiæ ratio satis efflorescit ex data definitione, ex qua constat illam veritatem reciprocari, ut aiunt, cum ente. Verum igitur ab ente differt per solam mentis considerationem (300).

§ II. De falsitate.

316. — Cum veritas sit adæquatio rei et intellectus, falsitas, quæ veritati opponitur, describi debet : *difformitas rei ab intellectu*.

Ex hoc conceptu falsitatis patet 1° Res *absolute* dici falsas per respectum ad intellectum artificis, a quo dependent; sed hoc modo res naturales nunquam sunt falsæ (311, 313), et ideo falsitas in rebus nihil est. Cum agitur etiam de artifice creato, si res ab hujus artificis idea esset difformis, diceretur opus malum, deforme, incongruum, potius quam falsum.

Patet 2° Res *falsas* nonnisi *per accidens* et *secundum quid* dici respectu intellectus a quo non dependent (312, 34), quatenus scilicet speciem externam aliarum rerum præbent, et sic, viam parant falso judicio : v. g. falsum aurum, falsus amicus. Sunt falsæ *secundum quid*, scilicet secundum *id quod non sunt*, ut ait S. Thomas; *unde falsus Hector est verus Tragædus, ut dicitur in* 2° *Soliloq*. Hinc ut falsæ dicantur, requiritur ut judicentur aut saltem judicari possint, esse id quo non sunt; sic aurichalcum verum dicitur *aurum falsum*, quia propter apparentiam externam falso reputatur aurum.

ARTICULUS III.

De bonitate et malo (a).

§ I. De bonitate.

317. — Ultima proprietas simplex, quæ enti attribuitur, est bonitas, quæ definiri potest : *id quod est conveniens alicui, nempe quod est conforme ejus propensioni, capacitati;* a Scholasticis *bonum* communiter definitur : *ens ipsum, prout dicit ordinem confirmitatis ad voluntatem, præcipue divinam.*

Hæc conformitas fundatur in ipsa entitate rei, ac proinde ens in tantum nominatur bonum in quantum est appetibile (1).

Quamobrem *fundamentaliter*, bonum idem est ac ens, seu bonitas re non distinguitur ab entis realitate;

(a) Consule D. Thom. in 1 *Ethicorum* lect. 1; *De veritate* qu. 21, art. 1; p. 1, qu. 5 art. 1, qu. 16 art. 1; *De Malo* inter disput. art. 1; *Contra gentes* lib. III, cap. VII, XV: *Summa theolog*. p. 1. qu. 48, art. 3, qu. 49, art. 2.

(1) Quidam reponunt rationem formalem boni in *perfectione*, alii in *appetibilitate*, et utrumque dicit S. Thomas. Possunt conciliari istæ sententiæ : nam ratio formalis *boni* non consistit in perfectione, *ut constitutiva* entis, sed ut *conveniente appetitui*, et illius perfectiva.

sed *formaliter*, conceptus bonitatis distinguitur a conceptu entis, quatenus huic addit rationem convenientiæ vel perfectionis.

Bonitas est nomen abstractum cui respondet nomen concretum *bonum*, quod etiam et brevius, definiri potest : *in quod omnia appetunt*. Bonum est appetitus objectum.

318. — Bonum dividi solet : I. In bonum verum et bonum apparens. *Verum* dicitur bonum quod tale est quale existimatur; *apparens* vero quod est tantum in existimatione, non autem in re.

II. Dividitur in illud quod *in se* bonum est, seu bonum absolutum, et in illud quod est *alteri* bonum, seu bonum respectivum aut relativum.

Bonum *absolutum* illud est quod *per se* dignum est amore. V. g. Bonus Deus. Bonum *relativum* est bonum respectu alterius tantum.

Bonitas absoluta est ipsa perfectio entis in se, unde per se appetitur : bonitas respectiva nominat respectum convenientiæ entis cum aliqua re : hinc non propter se, sed propter finem appetitur. V. g. sanitas.

In hoc sensu, bonum relativum idem esset ac bonum utile; verum latius sumitur bonitas absoluta et bonitas relativa, quatenus prima idem est ac bonitas fundamentalis, et altera convertatur cum bonitate formali, ac proinde idem sit ac convenientia perfectionis cum aliis.

III. Dividitur in honestum, utile et delectabile.

1° Bonum *honestum* illud est quod enti congruit *ratione sui*, non ratione delectationis et solius utilitatis. Late sumptum, bonum illud est quidquid per se naturam entis perficit, et dicitur *bonum naturæ*. Pressius sumptum, est id quod rationali naturæ perfectionem ipsi propriam confert, et tunc idem est ac bonum morale. V. g. virtus. Est aliquod bonum absolutum.

2° Bonum *delectabile* illud est quod alicui convenit propter delectationem quam ipsi affert, uti deambulatio. Habet per se rationem boni, etsi quædam bona delectabilia possint, ut media et fines inferiores subordinari superiori fini, et sic est aliquod bonum relativum.

3° Bonum *utile* illud est quod enti convenit, non

ratione sui, neque ratione delectationis, sed ratione alterius boni quod per illud obtineri potest. V. g. pecunia. Est etiam aliquod bonum relativum.

319. — Thesis I. *Omne ens est bonum, tum secundum se, tum alteri.*

1° Est bonum *secundum se*, quia omne ens carere nequit hac perfectione essentiali qua fit tale ens. Atqui quælibet perfectio est appetibilis adeoque bona. Ergo hæc essentialis perfectio qua ens actu est, hujus entis bonitatem secundum se constituit.

2° Est etiam *bonum alteri*, quia quælibet bonitas potest semper aliquid conferre ad alterius entis perfectionem, usum, etc. Ergo.

320. — Thesis II. *Bonum est diffusivum sui.*

Probatur. Quod bonum est, appetibile est, et movere valet appetentem, quatenus pro illo rationem finis habere potest. Atqui id quod appetitur, ut finis, reddit media quæ ad hunc finem assequendum idonea sunt, *amabilia et appetibilia*. Ergo bonum in alias res rationem boni diffundit, ac proinde est sui diffusivum (1).

§ II. De malo

I. Quid et quotuplex est malum?

321. — Bono opponitur malum tanquam illius privatio seu carentia; quocirca potest definiri : *carentia perfectionis convenientis et debitæ*. Malum non est simplex negatio boni, neque aliqua realitas potitiva. Simplex enim negatio nullam supponit in subjecto oppositæ perfectionis exigentiam. Verumtamen non est aliqua realitas, nam omnis realitas, qua talis, est aliquod bonum (319).

322. — Malum, qua tale, non est appetibile; cum opponatur bono, rationem finis ex se habere nequit. Verumtamen malum appetitur *per accidens*, quatenus res quædam bona exquiritur, in qua malum est : v. g. lucrum injustum.

323. — 1° Malum dividitur in *physicum* et *morale*, prout est privatio boni *naturalis* vel *moralis* : v. g.

(1) Cf. S. Thom. disp. de veritate q. 21 a. 1 ad 4.

carentia sanitatis, vitæ, integritatis membrorum aut facultatum, est malum physicum. Deficientia actionis liberæ a morum regula est malum morale.

Huic divisioni membrum tertium addidit Leibnitzius, nempe malum *metaphysicum* quod est *carentia ulterioris perfectionis*. Sed defectus iste altioris perfectionis malum dici nequit, nam est mera negatio perfectionis indebitæ (321).

2° Malum dividitur in *absolutum et relativum*, quæ a S. Thoma appellantur malum *simpliciter* et malum *secundum quid*. Primum est privatio boni debiti, et opponitur bonitati absolutæ (318, II°); secundum est aliquid in se bonum, sed alteri detrimentum inferens; v. g. justitia judicis.

3° Dividitur in *malum culpæ* et *malum pœnæ* : Primum importat inordinationem in actione vel omissione libera voluntatis, ac proinde coincidit cum malo morali : alterum est privatio boni ob culpam inflicta ; v. g. privatio libertatis sonti irrogata.

II. De origine mali.

324. — Quoad originem mali et oppositionem quæ existit inter bonum et malum, adverte : 1° malum, vel esse malum subjecto in quo est, vel esse malum alteri.

2° Bonum et malum considerari posse *materialiter*, nempe secundum res ipsas quæ bonæ vel malæ sunt, aut *formaliter*, scilicet secundum ipsas rationes boni et mali.

Bonum et malum formaliter considerata, in subjecto opponuntur *privative*.

325. — Thesis I. *Malum non est nisi in subjecto bono.*

Probatur. Malum est privatio boni. Atqui privatio perfectionis debitæ nequit esse nisi in aliquo ente, quod (317, 319) eatenus est bonum, quatenus est ens. Ergo malum non potest esse nisi in ente bono, tanquam in subjecto.

326. — Thesis II. *Bonum est causa efficiens mali.*

Probatur. Malum est privatio perfectionis debitæ. Atqui perfectio debita a subjecto, cui naturaliter debetur,

removeri nequit nisi per contrariam actionem. Ergo cum actio non nisi ab ente, quod convertitur cum bono, fieri potest, malum a bono duntaxat tanquam a causa, originem ducit.

327. — THESIS III. *Bonum, non per se, sed per accidens est causa mali.*

Nota. Per se fieri dicitur quod ex virtute et intentione agentis fit; *per accidens*, quod vel non fit ex virtute agentis, vel fit præter ejus intentionem.

Probatur 1° *Ex eo quod non fit ex virtute agentis, et hoc duplici ratione.*

1° Efficientia causæ producit aliquid quod est ens.

Atqui omne ens est bonum. Ergo malum, quod est quædam privatio, seu non est aliquid, non venit ex *efficientia* causæ, sed ex ejus *debilitate*, ac proinde fit per *accidens.*

2° Malum efficitur vel in ipsa actione causæ vel in ejus effectu. Porro defectus in *actione* non provenit ex efficientia, nam efficientia, ut sic, *aliquid efficit :* defectus in causæ *effectu* venit vel ex *imperfectione* actionis vel ex *deformitate* materiæ. Ergo malum semper provenit *per accidens.*

Probatur 2° *Ex eo quod non fit ex intentione agentis.*

Quod provenit præter intentionem agentis non est effectus per se, sed per accidens. Atqui defectus aut privatio non potest esse id quod intendit agens. Ergo malum fit per accidens.

328. — *Scholium.* Hæc argumenta vim etiam obtinent quando agitur de causis liberis. 1° Quum enim causa libera legi morum se subjicere detrectat, et actionem inhonestam facit, tunc causa efficiens hujus actionis, seu voluntas, non agit quantum potest et debet, ac proinde in actione *deficit.* Porro deficere a suo actu normali contingit *per accidens.* Ergo...

2° Præterea causa libera, dum actionem pravam perpetrare vult, directe non intendit ipsam *deordinationem* actionis, seu *deficientiam* a lege ; hæc deficientia per se appeti nequit. Ergo agens liberum *directe* vult ipsam actionem, quæ est aliquid seu ens, et *indirecte* tantum, seu per accidens, vult deformitatem hanc quæ actionem comitatur. Ergo...

APPENDIX AD CAPUT IIum.

DE ORDINE, PULCHRITUDINE ET SUBLIMI.

329. — Ordo et pulchritudo quædam sunt rationes communibus entis perfectionibus valde affines, et ea de causa ipsis eas adjungemus. De hisce rationibus circumscripte disseremus: nam plena earum tractatio aliquam constitueret philosophiam artium; cæterum ætate nostra disquisitio legum pulchri quamdam constituit scientiam particularem, quæ *Æsthetica* nuncupatur.

I. De ordine.

330. — Ordo definitur a S. Augustino : *Parium dispariumque rerum sua cuique loca tribuens dispositio*, seu ut communiter etiam definitur, *dispositio plurium ad unum aliquod efficiendum*. Hinc ad ordinem requiritur :

1° *Quædam multitudo*, nam res una, quatenus una est, ordinari non potest. Et hæc multitudo est ipsa *materia* ordinis, quæ constat rebus, e quibus rite aptis ipse ordo conflatur.

2° *Quædam unitas :* ordinata enim dicuntur ea quæ secundam aliquam rationem communem vel invicem succedunt, vel simul coexistunt, ad eumdem finem obtinendum.

3° *Quædam partium dispositio* ad communem finem, nam locum rei proprium determinat relatio hujus rei ad cæteras quibuscum comparanda est intuitu unitatis. En *forma* ordinis quæ apta plurium ad finem dispositione continetur.

4° *Finis communis* omnium partium, qui est ratio sufficiens ordinis et regula qua ipse ordo æstimatur.

331. — Ordo dividur 1° ex parte materiæ, in *staticum* et *dynamicum*, prout agitur de ordinatione rerum aut motuum; 2° ratione formæ, in *universalem* et *particularem*, prout spectatur in omnibus simul partibus totum aliquod constituentibus, vel in singulis seorsum; 3° ratione relationum, in *verum* et *apparentem*, prout fundatur in veris rerum relationibus aut fucatis.

Præterea ordo dicitur *chronologicus*, quando fundatur in relationibus temporis; *moralis* ac *socialis*, quando fundatur in relationibus jurium et officiorum cum fine individuali ac sociali.

II. De pulchritudine *(a)*.

332. — « Pulchrum et bonum, ait S. Thomas, in subjecto quidem sunt idem, quia super eamdem rem fundantur, scilicet super formam, et propter hoc bonum laudatur ut pulchrum : sed ratione differunt. Nam bonum proprie respicit appetitum. Pulchrum autem respicit vim *cognoscitivam* : pulchra enim dicuntur *quæ visa placent*. Unde pulchrum in debita proportione consistit » (1). Sic pulchrum a posteriori definitur ex effectu, nempe quatenus delectat vim apprehensivam sensilem et intellectualem. Differt tamen a *vero*, quia verum apprehensum *affirmatur*, dum pulchrum apprehensum *placet*. Itaque.

1° Si tale est ut delectet tantum sensum visus et auditus, est pulchrum infimæ rationis.

2° Si per sensum visus et auditus, vel per imaginationem pertingit ad vim intellectivam ut eam delectet, est altioris gradus. Utrumque tamen non est nisi in sensibilibus.

Denique 3° si pulchritudo esset in mere intelligibilibus et intellectualibus, esset altioris rationis quam pulchritudo sensilis, licet analoga.

Sed res non sunt pulchræ quia delectant, sed e contra delectant, quia pulchræ sunt, et ideo ratio pulchritudinis est objectiva, et consistit in hac rei pulchræ perfectione quæ apprehensa ab intellectu delectationem gignit. At diligentius inquirenda est hæc *intrinseca ratio* pulchri :

Ex dictis sufficienter constat illam consistere in aliqua refulgentia rei visæ seu apprehensæ; sed hæc refulgentia resultat, ut ait D. Thomas (2), ex « quadam consonantia diversorum », sive diversitas seu varietas sit in partibus vel principiis rei constitutivis, sive in aptitudine perfecta unius ad multa varia. Hæc consonantia, quæ fundatur in natura partium vel principio-

(a) Cf. Summ. th. qu. 27. art. 1 ad 3, qu. 39 art. 8; 2. 2. qu. 145, art. 2.

(1) *Summa theol.*, 1 p., q. v. a. 4, ad 1.

(2) L. C.

rum, subaudit necessario perfectionem propriam seu connaturalem istorum.

Pulchritudo ergo a Platone et S. Augustino strictius et recte definitur : *unitas in multitudine et varietate.* Ex hac definitione reali et propria patet pulchritudinem includere ordinem, cui tamen aliquid addit. Ordo enim multitudinem importat, dum ad pulchritudinem requiritur *multorum varietas.* Hinc reductio multorum ad unitatem, varietate servata, est ipsa pulchritudinis ratio, dum multitudo, varietas et integritas seu perfectio constituunt veluti fundamentum pulchritudinis.

333. — Pulchritudo dispesci potest 1° in *idealem*, quæ typicam quamdam perfectionem exhibet, cui aliquid conformari debet ut sit pulchrum; v. g. exemplar ad imitationem propositum, et in *realem*, quæ ad objectum aliquod in se spectatum pertinet.

2° Dividitur in *physicam, intellectualem et moralem.* Dicitur physica, quando hæc varia, ad unitatem reducta, sunt ordinis physici et materialis; v. g. vir corpore excellens. Pulchritudo dicitur intellectualis, quando res, ad unum reductæ, sunt pure intelligibiles; v. g. pulchritudo libri, aut quando plurium varietate gaudentium unitas est mere logica, uti in operibus artium quæ imitatione continentur. Denique pulchritudo dicitur moralis, quando unitas resultat ex consensione actuum liberorum cum lege morali, præsertim quando huic conformitati aliquid obstat; v. g. pulchritudo virtutis.

334. — Pulchrum, uti diximus, respicit vim cognoscitivam, quæ in homine est ordinis vel sensilis vel intellectualis; itaque pulchrum quod ordinem dicit ad facultates tam sensiles quam intellectuales, magis placet, cæteris paribus, saltem *homini* secundum vires mere naturales operanti, quam illud quod esset mere intellectuale aut mere sensibile. Facultas enim *æsthetica*, ut aiunt, quæ de pulchro judicat, atque *gustus* appellari solet, est complexus omnium facultatum cognoscitivarum, non autem aliqua particularis a cæteris distincta.

III. De sublimi.

334 *bis.* — Sublime in eo stat ut aliquid exhibeat intuentis facultatem longe excedens, ac proinde respectu

llius a quo consideratur, quasi vestigium infiniti præ se fert. Id enim sublime a nobis dicitur quod stuporem ingenerat, quia vim et aciem nostrarum facultatum prætergreditur : animum, quem rapit, repente percellit ob magnitudinem quam illi exhibet.

Differt a pulchro, nam 1° ab uniformitate non abhorret, et exinde varietatem non expostulat; limites dumtaxat repellere debet : capacitatem cognoscentis exsuperet necesse est. Verumtamen non opus est ut mens ratiocinando ad objectum sublime ex integro cognoscendum devenire nequeat; sufficit ut intuitionem actualem excedat. Præterea 2° pulchritudo ordinem requirit, dum sublime illum non exposcit; imo aliquando ex perturbatione augescit, atque etiam in ipsa consistit perturbatione : v. g. tempestas atrox nonnunquam spectaculum sublime dicitur. 3° Ordo cognitus aliquam gignit temperatam admirationem, dum sublime gignit stuporem, ac excessu suo facultatem sibi submittit.

CAPUT III.

DE SUPREMIS ENTIUM GENERIBUS SEU DE CATEGORIIS.

335. — Jam in Logica locuti sumus de categoriis seu de prædicamentis, prout secundis intentionibus subsunt; nunc autem considerari debent prout sunt entia. Objectum enim categoriarum sunt res omnes, quatenus secundis intentionibus affectæ ab invicem secernendæ et a ratione ordinandæ sunt. Speculatio igitur prædicamentorum simul pertinet ad Logicam et ad Metaphysicam. Categoriæ considerari possunt :

1° Præ objecto suo, nempe prout sunt entia. Categoriæ enim ipsum ens exhibent pluribus diversisque modis determinatum; et sub hoc respectu in Metaphysica perlustrantur, siquidem principium a quo promanant, est *ens* in quantum ens, et quidem *actuale :* nam ad categorias revocantur notiones rerum quæ in natura sunt, et prout actu sunt in natura.

2° Attendi possunt præ illo quod habent a ratione, seu in quantum aliqua proprietas ab intellectu causata eis attribuitur, nempe quatenus sunt series naturalis

generum, specierum et individuorum, atque prædicari aut subjici possunt : sub hoc respectu spectata, prædicamenta ad Logicam pertinent. Veteres communiter in Logica tractabant de categoriis.

336. — Licet arbitrarius aliquo sensu dici possit categoriarum numerus, apte tamen ab Aristotele decem assignantur. I. Est *arbitrarius*, quia hæc series rerum varie ordinari potest. Etenim 1° si omnia entia alicui supremo generi subordinentur, *ens* erit unicum prædicamentum omnium entium. 2° Si ordinentur res usque ad *certum gradum*, qui sit tantum illis communis, licet super hunc gradum detur alius generalior, qui sit communis tam ipsis quam aliis rebus, tot statui possunt categoriæ quot fieri poterunt tales rerum ordinationes : ens enim per categorias dividitur tanquam per diversos *modos essendi*.

II. Aptissime tamen in *decem dividuntur* ab Aristotele, nam hæc divisio est completa et omnes aspectus complectitur, sub quibus ens generatim inspectum considerari potest (45).

337. — Verumtamen non est cur in has decem categorias singillatim rimandas hic incumbamus, nam ad rem nostram non omnes aliquid faciunt. Eas igitur solum seligemus quæ sunt metaphysicis scitu utiles, easque distribuemus pro ratione analogiæ vel oppositionis quam habent inter se. Hinc in primo articulo agemus de substantia et accidente; in secundo, de quantitate, qualitate, et habitu; et in tertio, de relatione.

ARTICULUS I.

De substantia et accidente (a).

I. De conceptu substantiæ et accidentis.

338. — Ens adæquate dividitur in substantiam et accidens, si per accidens intelligatur quidquid afficit vel modificat alterum. Etenim quodlibet ens vel per se constat, seu *est per se stans*, et tunc dicitur *substantia*, nomine imposito a *substando*, aut non stat per se,

(a) Totam hanc materiam perlucide tractat D. Thom. p. I, qu. 29, art. 2; qu. 3. art. 5 ad 1; p. III, qu. 77, art. 1 ad 2. — QQ. Disput : *De Potentia* qu. 7, art. 3 ad 4; *De anima*, art. 1.

sed *in alio*, cui inhæret, quod quum ita sit, dicitur *accidens*. Ex. : Si consideres hominem album, homo tibi exhibet substantiam, et albus, accidens, quod inhæret huic substantiæ.

Stricte definiri potest : *Ens per se stans*, seu *non indigens alia re cui inhæreat tanquam subjecto.*

Accidens est *ens alteri inhærens*, seu *indigens subjecto cui insit*.

Substantia concipitur tanquam aliquid *permanens*, dum accidens tanquam aliquid successivum, seu *transiens*, habetur.

339. — Ipsa experientia sive interna, sive externa, nobis dat conceptum accidentis et substantiæ. Dum res omnes consideramus, videmus esse aliquid quod mutationes sibi perpetuo succedentes recipit, et esse aliquid quod in his mutationibus accedit vel recedit. Id quod recipit mutationes, stat per se, seu est substantia : v. g. cera, quæ formas diversas recipit. Id quod his mutationibus accedit vel recedit est accidens : v. g. innumeræ istæ formæ quas cera successive recipit.

340. — Substantia et accidens non univoce, sed analogice, conveniunt in ratione entis (269, 270), nam conceptus entis substantiæ et accidenti est communis; sed ratio hoc conceptu expressa non est eadem.

Hunc articulum in tres distribuemus paragraphos : In 1° agemus speciatim de substantia, in 2°, de supposito et persona, quæ sunt nonnullæ species substantiæ; denique in 3°, de accidente.

§ 1. De substantia.

341. — Thesis I. *Conceptus substantiæ non est arbitrarius et merum mentis figmentum, sed valorem objectivum habet.*

Nota. — Hæc thesis contra Lockium proponitur (278), qui putat substantiam esse summam omnium qualitatum sensu perceptorum, quæ ignota ratione coexistunt; igitur hæc ignota ratio totius esset id quod vocatur substantia.

Probatur. Conceptus qui habet fundamentum in re concepta, non potest dici arbitrarius et merum mentis figmentum. Atqui ejusmodi est conceptus substantiæ :

etenim, ut modo diximus, experientia ipsa sive interna sive externa clare manifestat substantiam non esse idem ac accidens. Ergo hæc substantiæ notio quæ ex ipsis rerum naturis depromitur, atque sponte exurgit ex ipsa experientia, nequit dici arbitraria et figmentum mentis.

342. — *Scholium.* Cognoscimus quidem quid sit substantia universim sumpta et per oppositionem ad accidens; verumtamen sæpenumero non cognoscimus quid *intrinsece* constituat determinatas substantias. At quomodo cognoscamus intrinsecum illud constitutivum substantiæ?

Sensus percipiunt externas affectiones, non abstractas, sed *concretas*, unde aliquo modo substantiam ipsam attingunt : istæ enim affectiones percipiuntur prout sunt *in re*, et *exinde* intellectus non intelligit primo affectionem a substantia abstractam, sed *per modum unius* accidens in subjecto. Notiones formales substantiæ et accidentis comparatione et deductione postea acquiruntur.

343. — *De divisione substantiæ.*

Substantia ab Aristotele dividitur :

I. In primam et secundam, id est, in singularem et communem. Substantia *prima* seu singularis ea est quæ *de subjecto aliquo non dicitur*, *neque in subjecto aliquo est*. Substantia *secunda* seu communis ea est quæ licet *non sit in subjecto*, *dicitur tamen de subjecto*. Ex. *Homo* est substantia secunda ; hic homo, seu *Petrus*, est substantia prima (46).

Hinc differunt 1° quia prima est incommunicabilis pluribus (314) : Petrus non dicitur de Paulo, Joanne... ; secunda, non ita : homo dicitur de Paulo, Joanne. 2° Illa non prædicatur de altera substantia : hæc vero sic. 3° Illi tantum competit primo substare accidentibus ; huic vero, secundario et ratione primæ cui inexistit ; homo est albus, quia Petrus vel Paulus... est albus.

II. Substantia dividitur in simplicem et compositam. Datur *simplex*, si partibus physicis non constat, neque in partes physicas resolvi potest ; secus erit *composita*. Simplex potest esse *materialis* vel *immaterialis*, ut videbimus in Cosmologia, quando sermo erit de formis informantibus.

III. Dividi potest substantia sive simplex sive compo-

sita in completam et incompletam : *Completa* ea est quæ ex se non ordinatur ad compositum substantiale constituendum : v. gr., homo, angelus, arbor..., etc. Est *incompleta* ea quæ ex se ordinatur ad tale compositum : v. g., corpus hominis, animus humanus, etc. Hæc divisio a quibusdam recentioribus impugnatur, quatenus omnis substantia esset completa in ratione substantiæ : et hoc libenter concedimus. Sed hic consideratur substantia quatenus ex sese habet vel non rationem partis. Substantiæ singulares seu primæ quæ sunt completæ, nempe rationem partis aut complementi non habent, dicuntur *supposita*, græco nomine *hypostases*. De his speciatim agemus in sequenti paragrapho.

§ II. De supposito et persona.

I. De conceptu suppositi et personæ.

344. — Suppositum, quod juxta vim nominis idem est ac *sub aliis positum*, definiri potest : *substantia singularis quæ per se integrum quoddam est atque completum*, quæ proinde nec alterius pars est, neque uti pars spectari potest, nec communicatur pluribus realiter distinctis.

Persona a supposito distinguitur, quatenus suppositum de qualibet natura dicitur, dum persona est suppositum naturæ *rationalis* tantum; quamobrem *est substantia singularis quæ ratione pollet, quæque per se integrum quoddam est atque completum.*

Modus sic consistendi in se, ex quo fit ut substantia singularis sit tota in se, seu evadat alteri incommunicabilis, *subsistentia* nominatur. Subsistentia proprie significat ultimum terminum naturæ substantialis. Si sumatur *abstracte*, significat rationem subsistendi, seu est formalis ratio incommunicabilitatis sub qua intelligitur substantiam esse hypostasim; si autem *concrete*, rem ipsam subsistentem significat. Igitur suppositum aut persona concipi debet ut resultans ex substantiali natura et subsistentia.

Adhibita methodo divisionis seu instituta analysi eorum quibus nomen hypostasis convenit, facile videbimus ad rationem propriam subsistentiæ tria requiri : 1° ut sit substantia *singularis* et *integra;* 2° ut non sit ad

modum partis, sicuti, v. gr., anima in homine seu substantia *tota;* 3° ut non sit communis, seu identificata cum pluribus inter se realiter distinctis, ut v. gr., essentia divina, sed tota *in se.*

345. — Hæ definitiones illis revera congruunt quas tradidit Boetius : « Suppositum est *naturæ completæ individua substantia...* » et, « persona est *rationalis naturæ individua substantia* ». Verumtamen ut hæ definitiones ab iis quas tradidimus, non discrepent, rite intelligi debent voces *individua substantia :* Nam significare non debent simpliciter substantiam physice unam (secus animus humanus, corpus, etc., dicerentur hypostases), sed substantiam completam, quæ in se tota sit ac completa. *Individua* ergo, in hac definitione, non modo dicit substantiam *singularem*, ut opponitur universali, *integram*, ut opponitur parti, *totam* ut opponitur formæ in aliquo composito, verum etiam substantiam totam *in se*, seu realiter incommunicabilem. *Substantia* ponitur ut genus in definitione, et per adjectionem vocis *individua*, genus determinatur ad substantiam *primam* tantummodo significandam.

Hinc falsa est definitio a Günthero tradita, quam incaute accipiunt aliqui theologi : « Persona est *substantia sui conscia* » : actualis sui conscientia, juxta hanc definitionem, esset forma personæ seu *personalitas*. Sequeretur quod in Trinitate esset unica persona, et in Verbo incarnato duplex hypostasis.

346. — Thesis. *Suppositum est maxime per se, et est id quod agit.*

Prob. Nam 1° non est in alio ut in subjecto, quod est accidentis; 2° non prædicatur etiam de *subjecto*, quod est substantiæ secundæ et non primæ; tandem 3° non est in alio ut in toto, secus rationem partis haberet. Ergo suppositum, quatenus non est pars, sed totum, est sui juris, seu non est res alterius.

Est id quod agit, quia esse ei convenit primo ac per se. Inde dimanat axioma : *Actiones sunt suppositorum*, quia suppositum est principium *quod agit*, licet *per naturam* agat, quæ proinde est principium *quo* actiones fiunt. Unde est id quod *habet* naturam et proprietates.

347. — *Corollarium* I. Quidquid rationem partis ha-

bet, dici nequit suppositum aut persona. Ex. : Anima et corpus dici non possunt supposita, saltem in statu unionis, quia habentur ut partes hominis.

348. — *Corollarium* II. Si fieret divisio alicujus substantiæ ita ut partes nullam relationem servarent sive ad invicem, sive ad aliquod totum, constituerent quoddam integrum, nempe supposita. « Separatio, ut ait S. Thomas, dat utrique partium totalitatem » (i. e. *suppositalitatem*).

Item, per oppositionem, duo supposita, sola conjunctione facta, cessant duo esse supposita, sed unum constituunt : v. g. duæ palacræ fusiles quæ miscentur.

349. — *Scholium*. In mysterio sanctissimæ Incarnationis, ad personam infinitæ perfectionis accedit finita substantia. Hæc finita substantia, hoc ipso quod fit natura personæ infinitæ, suppositum non est, quia non habet rationem totius in se. Sed persona Verbi divini, quæ nullo pacto perfici poterat per hanc accessionem, suam personalitatem in unione hac amittere, minuere vel augere non potuit : nunquam enim potest concipi ut habens rationem *rei perficiendæ*. Hinc persona Verbi naturam assumptam ad suam trahere debuit personalitatem. Peracta igitur assumptione, unica est persona, nimirum persona assumentis, et exinde unio hæc dicitur hypostatica.

Principium *quod* (346) agit est hæc unica Verbi hypostasis, dum principium *quo* actiones fiunt, est duplex, scilicet natura divina et natura humana. Hinc in Christo duo sunt genera operationum, quia sunt duæ naturæ, dum in sanctissima Trinitate una est operatio externa *trium personarum*, quia una est natura.

II. De Distinctione inter naturam et personalitatem.

350. — Quærunt Scholastici utrum personalitas vel subsistentia addat naturæ existenti *in creatis* aliquam novam realitatem?

— Variæ sententiæ (a) circa hanc questionem :

1° Prima opinio, quam communiter tenent Thomistæ cum quibusdam Scotistis (1) affirmat subsistentiam in creatis dicere aliquid a natura singulari realiter distinctum et separabile. 2° Juxta plurimos alios theologos, subsistentia vel personalitas a natura singulari non distinguitur, nisi secundum diversum modum concipiendi; sed

(a) Hæretici omnimodam distinctionem rejiciebant inter naturam et hypostasim, etiam cum agebatur de Verbo incarnato, et exinde affirmabant tot esse hypostases quot sunt naturæ. Hinc unica natura in Christo, ut volebant Eutychiani, aut duæ personæ, ut asserebant Nestoriani. Sed de distinctionibus in divinis tractant theologi.

(1) Vide Pontium, Metaph. disp. II q. 6 n. 84.

loquuntur tantummodo de substantia singulari, quæ sit hypostasis ex naturalibus suis principiis, non de ea quæ esset assumpta *supernaturaliter* ad hypostasim superioris ordinis, seu de natura humana Christi respectu Verbi divini.

351. — Præterea auctores, qui primam tenent sententiam, quærunt utrum hæc subsistentia vel personalitas sit aliquid *positivum* vel *negativum;* et circa hoc punctum denuo scinduntur scholæ :

1° Thomistæ, sibi magis congruentes, communiter tenent subsistentiam non posse dici realiter distinctam a natura singulari, quin sit aliquid *positivum* huic superadditum.

2° Scotistæ fere omnes affirmant *suppositalitatem*, ut dicunt, non concipi ad modum rei positivæ seu per affirmationem, sed strictius per solam *negationem* unionis naturæ singularis cum ente nobiliore : persona ergo sola negatione *communicabilitatis* formaliter constitueretur. Tamen non negant hypostasim aliquo a natura realiter distincto constitui, quod redderet naturam singularem *incommunicabilem;* sed tantum affirmant suppositalitatem, distinctam realiter a natura, esse quid negativum (1).

352. — Thesis. *In aliqua natura subsistente, persona et natura, non re, sed ratione tantum, seu conceptu mentis, differunt;* aliis verbis, personalitas naturæ existenti aliquam novam realitatem non addit, sed solummodo quemdam statum, ac modum existendi.

Nota. 1° Non quærimus de substantia, ut est universalis, sed de substantia singulari quæ est hypostasis, utrum *in ea* illud quo ipsa formaliter est hypostasis, sit *res distincta* ab ipsa, quatenus est substantia.

2° Loquimur de substantia quæ sit hypostasis ex *naturalibus* suis principiis.

3° Agitur de subsistentia seu personalitate, ut sic, non autem de accidentibus quæ singulis insunt; siquidem persona *cum accidentibus* est certo plus quiddam quam simplex natura; sed accidentia non magis pertinent ad rationem personæ quam ad rationem naturæ singularis.

(1) Vide Pont. I. c. n. 73, 84, 90.

His distinctionibus diluuntur omnes rationes sententiæ oppositæ (1).

Thesis duplicem complectitur partem :

Pars 1ª. Natura singularis et persona non realiter in creatis distinguuntur.

Probatur. Distinctio realis necessario expostulat ut sit in uno termino aliqua realitas quæ in altero deficit, seu accessum alicujus realitatis exquirit. Atqui natura singularis sine accessu alicujus realitatis fit persona. Ergo inter naturam singularem et personam non est discrimen reale.

Major per se patet : solum conceptum distinctionis realis exhibet, ut postea videbimus.

Probatur minor. Natura singularis dicitur suppositum aut persona, quando est per se quoddam integrum et completum, nempe quando *se possidet seu est sui juris et alteri incommunicabilis.* Atqui natura singularis eo ipso se possidet, quod non ab alio possidetur. Debet esse in se seu sui juris, si non est in altero seu res alterius, nempe ideo se possidet, seu est aliquod totum, quia non est pars alterius nec alteri inest. Ergo sine accessu novæ realitatis formaliter constituitur in ratione personæ, nempe fit sui juris.

Pars 2ª. Verumtamen admittenda est distinctio rationis ratiocinatæ inter naturam et personam.

Probatur. Alius est conceptus quo exhibetur substantia, quin determinetur utrum sit tota et in se, an pars et in alio; et alius est conceptus quo exhibetur substantia ut terminata et completa, sui juris et incommunicabilis : et res ipsa suppeditat fundamentum istius distinctionis. Atqui conceptus diversi distinctionem rationis constituunt, ut infra melius patebit. Ergo discrimen virtuale saltem existit inter naturam singularem et personam.

(1) D. Vallet triplex affert argumentum, quorum primum desumitur ex eo quod natura individua sit communicabilis, et uniri possit supposito; alterum ex mysterio incarnationis; tertium ex eo quod natura privari potest subsistentia propria. At nullum ex illis concludit, cum natura singularis sibi relicta sit hypostasis, sine additione novæ entitatis; etc.

§ III. De accidentibus speciatim.

353. — Accidens est ab *accido*, quia jam supponit rem, cui accidit sive accedit. Dividi solet in ontologicum et logicum : 1° Accidens ontologicum, ut jam antea diximus (338), est *ens quod in alio est tanquam in subjecto*, seu id quod in re vere inest. Accidens est in subjecto, non tanquam ejus pars constitutiva, sed subjecto *adhæret*, ita ut ab eo separatum naturaliter existere nequeat. Verumtamen accidens est *ens* et *res*, quia non est nihilum, sed realitas determinata quæ actu existit; sed est ens quod habet *esse* in alio, seu cujus esse est *inesse*, et exinde definitur per substantiam : *est ens entis*, ut dixit Aristoteles.

Accidens ontologicum dicitur *physicum*, quando intrinsecus afficit subjectum, seu est naturaliter ordinatum ad existendum in substantia; itaque in subjecto est quidquid non est de rei substantia. Dicitur *denominatio extrinseca*, quando extrinsecus tantum subjectum afficit aut ad illud refertur, v. g. qualitas resultans ex loco, veste, etc,

2° Accidens logicum seu prædicabile (49, 5°), uti diximus, est *quidquid salva rei essentia potest esse vel abesse*, seu id quod non est de essentia rei, nec ut genus nec ut differentia, seu prædicatur ut conceptus non quidditativus. Quando sic generatim sumitur, ut consequens essentiam sive necessario sive contingenter, includit *proprium*. Quare multi scholastici dividunt accidens in *proprium* et *commune* (1), quod est quintum prædicabile, seu accidens strictius sumptum. Accidens commune non est connexum cum essentia, dum accidens proprium est mutuo connexum cum essentia.

Igitur accidens logicum distinguitur a physico seu *prædicamentali*, quatenus contradistinguitur ab essentia seu specie, ut sic, dum prædicamentale contradistinguitur a substantia, ut tali, et ideo dividitur in novem prædicamenta, ut habet communis sententia contra aliquos (2).

(1) Vide Suarez. Metaph. disp. XXXIX sect. I n. 16.

(2) Vide Hurtado, Metaph. disp. IX.

353 *bis.*—Accidens sumi potest 1° *adjective*, et dicit *materialiter* rem quæ adhærere potest, et *formaliter* ipsam inhærentiam, 2° *substantive*, prout significat illam rem quæ potest adhærere, sive actu adhæreat, sive non.

354. — Thesis. *Licet accidens latiori sensu acceptum non necessario distinguatur a substantia, tamen inter accidentia physica* (1) *et substantiam aliqua debet admitti distinctio realis.*

Pars 1ª *per se liquet.* Si enim ageretur de accidentibus logicis, manifestum est hæc accidentia sola ratione differre a substantia : nam non sunt nisi in ordine logico. Non agitur etiam de modis substantialibus, cum sint tantum status essendi ipsius substantiæ, ut infra dicetur. Igitur quædam dantur accidentia quæ a substantia non realiter distinguuntur.

Verum si de accidentibus physicis et corporeis sermo sit, non parum inter se dissident auctores.

Scholastici generatim affirmant accidens physicum realiter distingui a substantia. Alii docent accidens, etiam corporeum, non distingui realiter, seu non esse aliquam realitatem ultra realitatem substantiæ, sed solummodo ordinem substantiæ ad aliquid aliud.

Probatur 2ª *pars theseos.* Accidentia alicujus substantiæ possunt ad ipsam accedere vel ab ea discedere, ac proinde sunt aliquid reale. Atqui substantia, nondum habens tale accidens, realiter distinguitur a substantia *hoc accidente* aucta : v. g. cera non habens formam animalis, realiter distinguitur a cera cum hac forma : hæc distinctio non est fictio mentis, sed in re ipsa fundatur. Sed hoc melius apparet tum in anima cum vel sine scientia, tum in calore vel frigiditate aquæ, nam aliqui habent formam ceræ ut simplicem modum substantiæ. Ergo aliqua existere debet distinctio realis inter substantiam et quædam ejus accidentia.

355. — *Scholium.* Utrum accidens illud a substantia distinctum sit ex se aliqua realitas, ita ut separabilitas substantiæ et accidentis sit mutua? id non immediate

(1) Aliqui dividunt accidentia *physica* in absoluta et modalia; sed accidentia physica proprie *absoluta* vocantur. (Vide Palm. Ont. cap. II, de accid. III.
Silv. Maurus, Quæst. phil. 943.

dimanat ex thesi : nam diversitas, in qua fundatur distinctio, potest utique intelligi : 1° de discretione realitatis substantialis a realitate accidentis et hæc realitas accidentis non dicit negationem subjecti, sed tantum negationem nihili. Sed 2° cum conceptus essentialis accidentis dicat realitatem existentem *in alio*, videretur absolute repugnare quod accidens sit sine subjecto cui inhæreat, ac proinde quod separabilitas substantiæ et accidentis sit mutua. Verumtamen existentia substantiæ non est ipsa existentia accidentis, et ideo non videtur metaphysice repugnare ut accidens existat sua propria existentia : sic enim potest existere quin existat per se, seu desinat esse accidens; sufficit ut retineat inhæsionem aptitudinalem, ad hoc ut ratio accidentis non evanescat. Quapropter non potest ex principiis mere rationalibus positive demonstrari, saltem demonstratione *plane evidenti*, accidentia illa esse aliquid entitatis, quod deficiente substantia posset manere. Sed contrarium multo minus posset evidenter demonstrari. Id unice posset evinci quod, *positis legibus naturæ*, accidens non potest esse sine subjecto. An ex principiis fidei id possit probari, in Theologia videbitur.

De accidentibus absolutis a subjecto separatis.

356. — Scholastici accidentia dividebant in modalia et absoluta. *Modalia* ea sunt quæ non possunt non inhærere subjecto inhæsione actuali, et nihil aliud sunt quam *status* essendi substantiæ vel accidentium absolutorum; *modus* enim est res ipsa taliter spectata, seu res concepta sub una ratione, comparata secum ipsa prout sub alia ratione concipitur; ideoque modi diversi sunt diversæ determinationes subjecti ad hæc diversa indifferentis. Modi sunt *substantiales* vel *accidentales*, prout inhærent immediate substantiæ vel accidenti, puta, quantitati vel qualitati.

Absoluta, ea sunt quæ per divinam virtutem conservari possunt a subjecto separata, ac proinde tunc inhæsionem *aptitudinalem* tantumodo servant, non actualem : dicuntur absoluta tum ex eo quod separari possunt, tum præsertim, quia sunt *res* quædam distincta a substantia cui inhæret, dum accidens modale est quædam

relatio substantiæ vel accidentium absolutorum. Sed hic considerantur ut manentia sine subjecto.

Hæc doctrina de accidentibus absolutis, separabilibus aut separatis a subjecto connaturali vel ab omni subjecto, jam ab Aristotele proposita, fuit generatim a scholasticis accepta, ad possibilitatem transubstantiationis in Eucharistia tuendam a quibusdam insectationibus.

Hæc constantia accidentium absque subjecto varie explicari potest. Possunt, fide salva, concipi accidentia tanquam manentia : 1° secundum ipsam entitatem quam prius habebant in substantia (355); 2° secundum *entitatem effectuum*, nimirum quatenus eodem modo se habent *ad sensus* (1). In primo casu, dicuntur, eadem *identitate absoluta* et *numerica*. Et hæc ratio, si non unice, certo longe aptius congruit cum doctrina catholica de accidentibus Eucharisticis, quæ in declarationibus Ecclesiæ dicuntur *manere*. In secundo, non sunt eadem nisi *identitate relativa et sensibili*, quod dupliciter potest intelligi : 1° de immediato effectu in sensus, et est error philosophiæ cartesianæ; 2° de effectu in sensus, mediante aliquo effectu objectivo, seu aliqua repræsentatione quæ determinat in sensus talem perceptionem, et hic modus non videtur etiam solvere veritatem nostræ apprehensionis per sensus.

ARTICULUS II.

De quantitate, qualitate et habitu.

357. — De quantitate, qualitate et habitu simul loquemur, quia inter accidentium prædicamenta primum locum obtinent, et analogiam habent inter se. Hac ultima ratione præsertim fulti habitum revocamus ad qualitatem, tanquam speciem ad genus.

§ I. De quantitate *(a)*.

358. — *Quantum* dicitur quod divisibile est in partes proprie dictas, quæ nempe separatæ permanere in se possunt. Quantitas ergo definiri potest : *Accidens ex-*

(1) Post Maignan, Theolog. Wirceburg., P. Perrone, P. Tongiorgi, etc.

(a) Contra gent. lib. IV. cap. 65; p. III, qu. 76 art. 1 ad 3, qu. 77 art. 3.

tensivum substantiæ. Dicitur *extensivum substantiæ* quia quantitas corpori præstat ut ab eodem loco alia corpora repellere valeat, quapropter secum naturaliter importat *impenetrabilitatem* et *extensionem*.

At definitio hæc intelligi debet speciatim de quantitate *molis*, quæ est quantitas proprie dicta. Triplex enim communiter admittitur quantitas, scilicet *perfectionis*, *virtutis* et *molis*. Prima indicat cujuscumque naturæ sive creatæ, sive increatæ, sive corporeæ, sive incorporeæ perfectionem, et hoc sensu Deus dicitur infinite magnus, justus, etc... Secunda est gradus virtutis, seu vis quam habet agens in suis operationibus : sic ignis dicitur habere vim *magnam* ad comburendum. Nomen quantitatis nonnisi per metaphoram his duabus tribuitur. Tertia rerum materialium et corporalium extensionem aut divisibilitatem designat, et est quantitas proprie dicta.

359. — Quantitas proprie dicta distribui solet in *continuam* et *discretam*.

1° Prior, in qua strictius verificatur ratio quantitatis, est cujus partes communi vinculo invicem copulantur : v. g., linea, baculus, etc... Subdividitur ab Aristotele in lineam, superficiem et corpus, quod sumi potest vel mathematice vel physice : corpus *mathematice* sumitur, quando consideratur ut *aliquod* trina dimensione donatum. Corpus *physice* sumptum est *substantia corporea* habens materiam et formam, ac proinde actu constans trina dimensione ; v. g., globus eburneus.

2° Quantitas est *discreta* cujus partes sunt discretæ, nempe communi vinculo non uniuntur; v. g. decem homines, acervus lapidum.

360. — Ex hac generali descriptione quantitatis in se et in suis divisionibus magis obviis spectatæ pergere possumus ad distinctiorem conceptum ejusdem prædicamenti. Itaque ratio quantitatis duo importare videtur : 1° partium distinctionem in toto, et hoc de *formali*, quare D. Thomas definit quantitatem : *positio seu ordo partium in toto* (1); 2° exigentiam exclusionis seu radicem impenetrabilitatis et hoc de *consequenti* necessario vi hujus exigentiæ; partes sunt extra partes;

(1) Contra Gentes, lib. IV c. 65.

non quidem in ordine ad *locum*, sed in ordine ad *se*: et quantitas sic sumpta solet vocari *interna;* quando vero importat *actualem* exclusionem, nempe quando partes, non tantum natura, sed *situ*, sunt extra partes, quantitas dicitur *externa*. Corpus Christi, ut docet theologia, in Eucharistia habet veram quantitatem continuam, siquidem est verum Christi Domini corpus; verumtamen hæc quantitas proprie non habet actualem extensionem, nam Christi Domini corpus est totum in toto loco hostiæ consecratæ, et totum in qualibet ejusdem minima parte : et ideo est quantitas mere interna.

Etsi *positive* ex principiis rationalibus demonstrari non possit, saltem demonstratione apodictica, distinctio realis et separabilitas *actualis extensionis* in spatio a quantitate interna, contrarium multo minus posset demonstrari. Quid ostendant principia fidei, Theologia manifestat.

360 *bis*. — Ex dictis sequeretur, quantitatem esse primam dispositionem materiæ, per quam materia est extensa et divisibilis, et accidentia reliqua inesse et fundari in quantitate, ut docent S. Thomas et Scholastici sic communiter.

§ II. De qualitate (*a*).

361. — Qualitas est id quod respondet quæstioni *qualis* sit res. Potest definiri : *Accidens complens ac perficiens substantiam tam in existendo quam in operando*. Ex hac definitione constat qualitatem proprie dictam substantiis solummodo finitis inesse; substantia enim infinita non potest perfici aut compleri sive in existendo sive in operando. Hæc definitio apprime congruit ei quam tradebant veteres : *Accidens quod formam consequitur*. Forma enim est id quod in essentia rei complet et perficit, et confert principalem vim agendi : hinc id quod formam consequitur, complere potest substantiam tum in existendo, tum in operando.

362. — Ex definitione immediate colligitur qualitatem ordinari ad perficiendum sive ipsum esse substantiæ, sive ejus operationem; quapropter, licet a multis post

(*a*) D. Thom. 1, 2, qu. 49, art. 2.

Aristotelem, qualitas dividatur in quatuor species (1), omnes tamen qualitates ad duplicem generaliorem speciem facile revocari possunt.

1° Sub prima specie, nimirum sub qualitatibus quæ ipsum esse substantiæ perficiunt, continentur: 1° figura, 2° sensibiles qualitates, saltem quatenus ex ipsa corporum constitutione aut transeunte immutatione resultant, 3° qualitates ex pluribus aliis resultantes, v. g. sanitas, pulchritudo, etc.

2° Altera species, quæ complectitur quiquid perficit operationem, seu substantiæ tanquam proximum operationis principium accedit, comprehendit : 1° potentias naturales; 2° dispositiones et habitus. Etenim illud proximum operandi principium vel est a natura ipsa insitum, et tunc est *potentia naturalis;* vel superadditur ei quod natura tribuit, et tunc dicitur dispositio vel habitus. Dicitur *habitus*, si ex se sit permanens et durabile; v. g. scientia, virtus. Dicitur *dispositio*, si est aliquid transiens; v. g. sensatio, appetitio.

De hac ultima divisione qualitatum aliquid dicemus, quia proprie pertinet ad metaphysicam generalem; aliæ autem non ita.

§ III. De potentia et præsertim de habitu.

I. De potentia (*a*).

363. — Potentiæ nomen aliquando accipitur pro ipsa possibilitate; tunc a metaphysicis appellatur potentia

(1) Qualitates solent dividi a Scholasticis, post Aristotelem, in quatuor species, scilicet : 1° in habitum et dispositionem, 2° in potentiam et impotentiam, 3° in passionem et passibilem qualitatem, 4° in formam et figuram.

1° *Habitus*, est qualitas in vitali potentia residens ad actus eliciendos; *dispositio*, est modus quo potentia se habet circa actum; est habitus imperfectus : sic potentia dicitur bene, male disposita.

2° *Potentia*, est facultas ad agendum vel patiendum; *impotentia*, est gradus remissus in potentia : unde dicitur impotentia relative.

3° *Passio*, est qualitas ex motu animi in conflictu cum corpore resultans, v. g. rubor in vultu; *passibilis qualitas*, est passio ut diuturna.

4° *Figura* est modus resultans ex terminatione magnitudinis, seu est dispositio corporis in ordine ad locum ; v. gr. rotunditas ; *forma*, est figura affecta sensibili accidente, v. g. pulchritudo.

(*a*) D. Thom. p. 1. qu. 9, art. 2; qu. 77, art. 1. — P. III qu. 11 et qu. 1, art. 3 ad 3. — In V *Metaphysic*. lect. 14; etiam inter qq. disput. *De potentia*, qu. VI, art. 1 ad 18, et *de spiritualibus creaturis* art. 11.

objectiva, cui opponitur *actus entitativus*, seu ipsamet rerum actualis existentia. Sed a nobis nunc sumitur speciatim pro potentia *subjectiva* seu *entitativa*, quæ est rei existentis capacitas ad aliquid producendum vel recipiendum; huic opponitur *actus* quo aliquid dicitur aliud producere vel recipere. Hoc posteriori modo accepta potentia idem significat quod agens et patiens.

364. — Potentia subjectiva dividitur ab Aristotele in activam et passivam.

Potentia *activa* est principium mutationis in alio, seu, ut ait Aristoteles, *principium transmutandi aliud in quantum aliud*, unde revocatur ad genus causæ efficientis, de qua postea.

Potentia *passiva* est principium recipiens mutationem ab alio, seu, ut ait idem Aristoteles, *principium transmutandi ab alio*, et revocatur ad genus causæ materialis.

Potentia activa est vel pure activa, vel simul activa et passiva. Est *pure activa*, quando suum elicit actum, sed illum nullatenus recipit : v. g. facultas locomotiva in animali. Est *activa simul et passiva*, quando elicit suum actum et illum recipit : v. g. voluntas humana.

Prout consideratur ut capacitas producendi, habetur ut species qualitatis, et tunc definiri potest : *Principium proximum alicujus operationis, ad eamque natura sua ordinatum et institutum.*

Explicatur definitio : 1° Dicitur principium *proximum*, ad distinctionem ipsius substantiæ, quæ est principium principale.

2° *Alicujus operationis :* operationis nomine venit actus a potentia dimanans, sive hæc actio transeat in alterum subjectum, ut percussio, sive maneat in ipsa potentia, ut cogitatio.

3° *Natura sua institutum* ad operationem, secus non proprie appellaretur potentia.

365. — Quum potentia ad actum ordinetur, manifestum est potentiarum differentias ab actuum diversitate desumi. Sed diversitas actuum ex diversitate objectorum proficiscitur. « Objectum autem, ut ait S. Thomas, comparatur ad actum potentiæ passivæ sicut et principium et causa movens... Ad actum autem potentiæ activæ comparatur objectum ut terminus et

finis » (1). Ergo quia actio speciem recipit ex principio vel ex fine seu termino, ipsæ potentiæ specificantur ab objectis. Ex. gr. : Potentia cujus objectum est visibile, dicitur visus; facultas quæ pro fine habet significationem idearum, picturam, etc., est facultas loquendi, pingendi, etc.

Sed notandum est non quamcumque objectorum diversitatem potentias animæ diversificare, sed solummodò differentiam eorum ad quæ *per se* potentia respicit, adeoque formalium objectorum.

II. De habitu (*a*).

366. — Nomen *habitus* quod a verbo *habere*, desumitur, omnes significationes hujus verbi recipere potest. Sed hic, ut jam diximus (362, 2°), assumitur ut qualitas quædam permanens et de se stabilis in subjecto, per se primo ordinata ad operationem, non tribuens *primam* facultatem operandi, sed eam adjuvans et explicans. Per *primam facultatem* non intelligimus solum principium *principale* seu *radicale* operationis, quod est forma, sed *proximam* facultatem, quæ absolute confert primam potestatem operandi : hanc enim supponit habitus.

367. — Ex dictis facile definiri potest in quonam subjecto sint hujusmodi habitus. Subjectum proximum habituum, saltem in ordine naturali, sunt *entis potentiæ*, quæ perficiuntur ab habitibus. Istæ potentiæ, quæ de se sunt indifferentes ad diversos actus particulares, possunt habitibus informari atque inclinari ad actum : illud enim tantum potest determinari quod est indeterminatum. Ex. : Voluntas humana varios habitus recipere potest, quia varie est determinabilis; vires materiales habitibus informari nequeunt, quia sunt absolute determinatæ respectu sui effectus.

368. — Habitus præcipue dividitur ratione tum subjecti, tum causæ efficientis :

1° Ex subjecto in quo est, habitus dividitur in *moralem*,

(1) *Sum. th.*, p. 1, q. LXXVII, a. 3.

(*a*) D. Thom. 1ª 2æ qu. 49, art. 1, 4; qu. 50, art. 1, et 3; qu. 51, art. 2, 3; — 2ª 2æ qu. 1, art. 4, 5.

qui ordinatur ad actus voluntatis, et in *intellectivum*, qui disponit ad operationes intellectus.

2° Ex diversis *causis efficientibus*, habitus dividitur in infusum et acquisitum.

Habitus *infusus* ille est, qui per influxum solius Dei obtinetur. Dicitur infusus *per se*, quando, natura sua nonnisi a Deo produci potest : v. g. habitus fidei supernaturalis; dicitur infusus *per accidens*, quando, licet a Deo producatur, id tamen non petit ex natura sua : v. g. donum linguarum Apostolis collatum.

Habitus est *acquisitus*, qui per proprios actus operantis efficitur, ac proinde generari solummodo potest in iis potentiis quæ ad proprios actus eliciendos aliquo modo passive se habent. « Ex multiplicatis actibus, ut ait S. Thomas, generatur quædam qualitas in potentia passiva et mota, quæ nominatur habitus (1). » Ex. : Habitus virtutum moralium causantur in appetitivis potentiis, secundum quod moventur a ratione.

3° Sed præter hos habitus, quidam alii dantur, qui proprie neque acquisiti neque infusi sunt. Hi habitus *naturales* dicuntur, quia ab ipsa natura *inchoative* saltem dantur, et sunt potius inchoationes habituum quam habitus. « Nullum enim credimus, ait Suarez, in homine esse habitum a natura datum » (2).

369. — Habitus etiam dividitur in practicum et speculativum.

1° Dicitur *practicus*, quando circa praxim versatur, vel eliciendo vel dirigendo illam. Per praxim intelligitur, juxta Scotum (3), actus alterius potentiæ ab intellectu, naturaliter posterior intellectione, natus elici conformiter rationi rectæ, ad hoc ut sit rectus. Suarez fuse impugnat hanc definitionem Scoti, tum, quia non esset simpliciter verum quod omnis praxis sit extra intellectum, tum quia conformitas rectæ rationi convenit quidem praxi morali, ut ait, non autem necessario praxi artificiali (4). Verumtamen recte potest dici, sive quod omnis praxis est extra intellectionem regulantem, sive

(1) *Sum. th.*, l. II, q. LI. a. 2.
(2) *Metaph.*, disp. 44, s. 13, 7.
(3) Quæst. IV Prolog.
(4) *Metaph.*, disp. 44, s. 13, n. 20-30.

quod conformis esse debeat suæ propriæ regulæ, quæ habetur ut recta ratio « practicorum ». Habitus practicus ergo non potest in nobis esse de re non operabili a nobis.

2°. Habitus *speculativus* e contra ordinat ad veritatis contemplationem, quam propter se intendit.

Hinc finis habitus speculativi est *contemplatio*, et finis habitus practici est *actio*: practicus, cognitionem veritatis præsupponit ut regulam et principium alicujus operis humani.

370. — Exinde clare eruitur scientiam practicam versari circa rem operabilem a sciente, scientiam autem speculativam versari circa rem non operabilem a sciente (147, 1°), aut saltem, « circa hanc rem non versari, ut animadvertit Suarez, modo operabili (1). »

371. — Habitus dividitur præterea in virtutem et non virtutem.

Virtus est habitus disponens potentiam ad perfectam operationem naturæ illius consentaneam. Virtus potest esse *intellectualis* aut *affectiva*, prout est perfectio intellectus in attingenda veritate, aut perfectio voluntatis in consequenda honestate.

Habitus vero qui *non virtus* est, solet aliquando *vitium* appellari. Est habitus virtuti contrarius et ex se inclinans ad actum contrarium perfectioni potentiæ in qua est; v. g., errores qui inclinant ad falsum, dici possunt vitia intellectus; habitus inclinantes ad turpes et inhonestos mores dicuntur vitia in voluntate.

ARTICULUS III.

De relatione (*a*).

372. — In hoc articulo agemus: 1° de relatione in se spectata, 2° de identitate et distinctione quibus fundantur præcipuæ relationes. Hic secundus paragraphus haberi debet ut necessarium complementum prioris.

(1) *Metaph.*, disp. 44. s. 13, 4° divisio habitus.

(*a*) De Thom. p. I. qu. XIII, art. 7. — Opuscul. 47 inter opusc. D. Thom. — *De Potentia* inter dispp. qu. 7, art. 8 ad 1.

§ I. De relatione.

I. Quid sit relatio?

373. — Relatio definiri potest : *Habitudo seu respectus unius entis ad aliud*, nempe *id quo unum respicit aliud*. Hic ordo ad alterum, abstracte spectatus, appellatur a Veteribus *esse* relationis ad alterum, vel brevius *esse ad*.

In relatione tria considerari debent : *subjectum* seu ens quod *refertur* ad aliud, quodque propterea dicitur *relatum*; 2° *terminus*, videlicet id ad quod refertur subjectum : dicitur etiam *correlatum*; 3° *fundamentum*, quod est ratio ob quam subjectum refertur ad terminum, seu accidens quod fundat ipsum respectum seu habitudinem subjecti ad terminum : vocari solet *esse in* (subjecto) relationis. Dicitur fundamentum, quia ex ipso relatio resultat, et exinde etiam dicitur causa relationis. V. gr. quando dicitur : triangulum A æquale est triangulo B, habetur respectus seu relatio unius trianguli ad aliud. Triangulum A est id quod refertur, unde est subjectum; triangulum B est id ad quod refertur, ac proinde est terminus. Fundamentum est superficies trianguli A, quod refertur ut mensura communis.

374. — Thesis. *Relatio a suo fundamento non re, sed ratione duntaxat distinguitur*, seu aliis verbis, *esse ad* non realiter differt ab *esse in* relationis.

Nota. Aliqui Scotistæ et Thomistæ affirmant ipsam relationem prædicamentalem esse aliquam entitatem distinctam a fundamento : v. gr., relatio inter duos parietes albos non esset ipsa *albedo*, sed quædam entitas tenuissima quidem, realis tamen et realiter distincta (1).

Thesis probatur. Si distinctio esset realis inter fundamentum et relationem, tunc, posito in re fundamento et termino, *hoc ipso* relatio non haberetur. Atqui plane repugnat eam non haberi aut tolli, manentibus illis. Quando v. g., dantur duæ lineæ, sunt æquales vel inæquales citra ullam sui mutationem; et hæc æqualitas vel

(1) Juxta quosdam recentiores, distinctio illa esset realis, quia entitas relationis est purus ordo, dum fundamentum est aliquid absolutum in subjecto : ratio futilis est.

diversitas non est aliquid re distinctum ab ipsis realitatibus linearum. Item, positis duabus quantitatibus, hæ sunt necessario vel æquales vel inæquales, absque ulla realitate adventitia. Ergo relatio ratione tantum differt a suo fundamento, seu est ipsa entitas fundamenti, non solitarie sumpta, sed prout connotat terminum in obliquo.

375. — Ex dictis sequitur relationem reduci sive ad convenientiam aut discrepantiam quæ inter plura entia intercedit, sive ad nexum qui intercedit inter effectum et causam, principium et principiatum. V. gr. æqualitas emergens ex convenientia quantitatis, diversitas ex discrepantia qualitatis, relatio producentis ad productum aut producti ad producentem, scilicet, aliis verbis, agentis ad patiens seu productum, tanquam ad terminum suæ actionis, et producti ad agens tanquam ad principium sui esse.

II. Quotuplex sit relatio?

376. — I. Relatio dividi debet in realem et logicam.

Relatio est *realis* quando viget inter res independenter ab intellectus consideratione : v. g., relatio alicujus operis ad artificem. Relatio realis habet *esse in* quod in creatis est accidens in subjecto; unde, præter respectum ad aliud est etiam aliquid reale, quatenus inest substantiæ; relatio enim quæ nullo modo inest, est relatio rationis.

Relatio dicitur *logica*, seu rationis, quando ab intellectu efformatur, quin in rebus ipsis vigeat, cum, v. g., aliquid ad semetipsum refertur. Habetur quando ratio, bis aliquod unum apprehendens, refert unum conceptum ad alium, ac si haberent hi relationem similitudinis, v. g. respectus universalium et intentionum secundarum ad sua inferiora, a quibus realiter non distinguuntur.

II. Relatio latissime sumpta dividitur in transcendentalem et prædicamentalem.

Relatio *prædicamentalis*, quæ constituit prædicamentum de quo agimus, est purus ordo unius ad aliud, v. g., paternitas, filiatio. Ita denominat accidentaliter subjectum, ut totum ejus esse sit pure ad aliud. Unde solum

refert, nec aliud munus exercet : quapropter completur per ipsam existentiam termini.

Transcendentalis, quæ scilicet reperitur in *omnibus* prædicamentis, est ipsa res absoluta in se, sed tamen realiter aut ratione tantum ordinata ad alias. Non completur per coexistentiam termini, seu per aliquid extrinsecum : v. g. denominatio agentis est relatio transcendentalis, quia tota provenit a sola actione, et nullo modo a termino. Unde *ens omne* potest haberi ut hujusmodi relatio. Ad certum aliquod prædicamentum non pertinet, sed est habitudo vera et realis ad omnia genera entium.

Ad hanc divisionem addi potest aliud membrum, nempe relationes divinæ, quæ sunt *paternitas*, *filiatio*, *spiratio activa* et *passiva*, quibus personæ divinæ constituuntur, de quibus theologorum, non philosophorum, est agere.

III. Relatio realis dividi potest in mutuam et non mutuam.

Dicitur *mutua*, quando est realis in utroque relato, v. g. relatio inter patrem et filium.

Relatio *non mutua* est realis in altero relatorum, in altero autem logica; v. gr. relatio inter Deum et creaturas : natura creaturæ est ut se referat ad Deum, dum natura divina non se refert ad creaturam. Item relatio qua scientia refertur ad scibile, est *non mutua*.

Relatio mutua potest esse *ejusdem appellationis* aut *appellationis diversæ*, quando denominatio in utroque relato est eadem aut diversa. Ex. : relatio patris (paternitas) et filii (filiatio) est appellationis diversæ; relatio similitudinis inter duos parietes albos est ejusdem appellationis.

IV. Relatio etiam dividitur in relationem *secundum dici*, et in relationem *secundum esse*.

Relatio *secundum dici* seu secundum *solum ordinem prædicationis* definiri solet : *res* quæ *dicitur* per modum respectus, cum in re ipsa verum respectum non habeat. Istæ relationes non alia de causa sic appellantur nisi quia a nobis ita dicuntur et explicantur, ac si relationes essent, cum tamen non sunt; v. gr. omnipotentia divina, quæ juxta denominationem dicit ordinem ad opera externa, licet revera sit ipsa essentia divina in se.

Relatio *secundum esse* dicitur, quæ revera habet *proprium esse* cum habitudine ad aliud; v. gr. pater, uxor, dominus.

Sunt Scholastici qui existimant divisionem hanc relationis coincidere cum prima, ita ut relatio secundum dici sit eadem cum relatione rationis, quæ habet esse solum in intellectu, et relatio secundum esse confundi debeat cum relatione reali. Sed relatio secundum dici habetur in solo ordine prædicationis, prout nempe distinguitur tum ab ordine ontologico, tum etiam ab ordine logico, licet supponat modum concipiendi nostrum. Alii hanc divisionem revocant ad partitionem relationis in transcendentalem et prædicamentalem. Sed relatio transcendentalis concipitur ut habitudo vera ad omnia genera entium : unde non est mera relatio secundum dici.

III. De conditionibus requisitis ut relatio sit realis.

377. — Nunc quæri debet quid requiratur ut relatio sit realis. Dialectici, alii plures, alii pauciores numerarunt conditiones requisitas ad relationem realem, quæ ad quatuor commode revocari possunt.

1ª Subjectum debet esse reale, nam aliquid *fictitium* non potest realiter referri ad terminum.

2ª Fundamentum debet esse reale in *subjecto*. Relatio suam realitatem desumit unice a fundamento (374); ergo nequit esse realis quin fundamentum sit reale. Omnes relationes reales necessario fundantur in realitate inhærente subjecto relato (375), quæ dici solet *esse in* relationis. Relationes enim quæ haberent ordinem seu *esse ad*, sine realitate fundamenti in subjecto, non essent vera realitas, sed relationes rationis.

3ª Terminus debet esse realis et realiter existens, nisi saltem agatur de nonnullis relationibus quarum subjectum est mens vel etiam voluntas, quæ habitudines reales habent etiam ad possibilia et entia rationis. *Ratio regulæ :* relatio tota consistit in ordine ad suum terminum; atqui ubi terminus non est realis, ordo ipse non potest esse realis; subjectum enim tunc *potest referri*, sed non refertur. Ergo.

4ª Fundamentum a termino realiter distingui debet. *Probatur.* Subjectum fundamento informatum et ter-

minus sunt *extrema* relationis. Atqui si extrema non realiter distinguuntur, non datur nisi relatio unius ad seipsum, seu relatio logica. Ergo, etc. Diximus subjectum *fundamento* informatum, nam aliquid in tantum dicitur subjectum relationis, in quantum refertur; porro referri nequit sine fundamento (373), nempe sine causa ob quam referatur (1).

378. — Istæ quatuor conditiones requiruntur et sufficiunt ut relatio sit realis. Si intellectus aliquam conditionem supplet, relatio est logica. *Ex. gr.* Ex defectu primæ conditionis, relatio identitatis inter universale et individua est logica; ex defectu tertiæ, similitudo inter hominem existentem et alterum nondum existentem constituit relationem rationis, etc.

379. — Thesis. *Existunt in rerum natura relationes reales.*

Probatur. Relatio realis ea est quæ viget inter res independenter ab operatione intellectus. Atqui ipsis rebus sæpe inest, independenter ab intellectu, ordo et respectus unius ad aliud; v. gr. opus arte factum magis ab artifice dependet quam ab alio homine, aut a planta vel animali, etc.; filius dicit ordinem ad patrem magis quam ad res alias. Ergo relationes reales existunt in rebus ipsis, licet comparatio unius rei cum altera, locum non habeat nisi intercedat operatio intellectus.

§ II. De identitate et distinctione.

380. — Relationes, spectato fundamento, possunt revocari ad relationes *identitatis* et *differentiæ*, aut ad relationes connexionis, et idcirco disputatio de identitate et distinctione ut complementum tractationis de relationibus haberi debet.

I. De identitate.

381. — Idem dupliciter sumitur : 1° negative et fundamentaliter; 2° formaliter et relative; nam formaliter sumptum relationem importare videtur (2).

(1) Ad relationem realem requiritur, juxta S. Thomam, ut *fundamentum sit reale et realiter distinctum in utroque extremo*. Sed Scotus id negat, quia in Divinis relationes Paternitatis, Filiationis sunt relationes reales, licet habeant, juxta ipsum, idem fundamentum in utroque extremo.

(2) Suarez. Metaph. d. VII, s. III, n. 2.

— Identitas *formaliter* sumpta potest describi : *unitas aliqua plurium distinctorum.* Importat itaque aliquam unitatem et quamdam multitudinem. Hæc plúra, quæ conveniunt in unitate aliqua, possunt esse sive re sive ratione tantum dictincta. *Fundamentaliter* sumpta, est negatio divisionis a se vel ab alio quocum idem dicitur. Est ergo unitas quæ dicit negationem divisionis in se.

Licet ergo identitas definiatur per unitatem, differt tamen ab unitate, quia est aliquid *relativum*, quod semper plura supponit, dum unitas est denominatio *absoluta.*

382. — Identitas potest esse relatio realis vel logica (376). 1° Est relatio *realis* cum ens aliquod refertur ad aliud a quo reipsa distinctum est : v. gr. identitas Petri et Pauli quoad naturam.

2° Est relatio *logica*, cum ens refertur ad seipsum : v. gr., identitas inter Petrum et filium Jonæ.

383. — Quum identitas sit unum ex præcipuis fundamentis relationum, præsertim ergo consideratur quoad oppositionem identicorum, quo casu dicitur relatio. Verum præ solo fundamento ipsius relationis considerari potest : aliud enim est relatio inter plura, et aliud unitas fundamenti, quæ solet etiam vocari identitas. Dum fundamentum illud (agitur de rebus finitis) est realiter et numero unum, identitas ipsa, quæ potissimum constituitur *ex ipsa* unitate, dicitur realis; relatio autem quam constituit est logica. Vicissim, dum fundamentum est logice unum, identitas est logica, et relatio est realis (1).

Et revera 1° identitas realis producit relationem logicam, nam aliquid non potest realiter referri ad semetipsum (377, 4°), siquidem in hac hypothesi non dantur duo extrema realiter distincta : v. gr. Christus Dominus est realiter identicus cum Filio Beatissimæ Virginis Mariæ; et relatio inter utrumque terminum est logica, cum eadem persona Christi ad seipsam referatur.

2° Identitas logica constituit relationem realem; nam identitas logica non potest reperiri nisi inter duo quorum unum non est realiter alterum; hæc enim identi-

(1) Quando identitas habetur ut formaliter *est relatio*, res aliter explicari debet : in identitate *logica* fundamentum esset realiter unum, et in identitate *reali* esset tantum logice unum. Vide P. Tongiorgi, Ont. l. II, c. IV.

tas constituit fundamentum relationis realis, quod proinde non est nisi logice unum, seu est unus conceptus cui respondent duæ realitates distinctæ in extremis.

Hinc fundamentum relationis realis non est realiter unum, sed reale est in extremis relationis (377, 2°): v g. natura humana in Petro et Paulo non est una nisi secundum conceptum, dum est aliquid reale in Petro et Paulo. Contrarium contingit in relatione logica, in qua fundamentum est realiter unum, dum extrema relationis non sunt realiter plura, siquidem est unum ens quod ad semetipsum refertur.

Fundamentum identitatis, ut patet ex dictis, est hæc *entitas* in qua plura conveniunt, et ex hac diversitate fundamenti exsurgit diversa identitas.

384. — Identitas dividitur in genericam, specificam et numericam.

1° Dicitur *generica* quando plura conveniunt *in genere*, nempe quando entitas communis est genus.

2° Dicitur *specifica*, quando plura conveniunt in specie, nimirum quando entitas communis est species.

Identitas, sive generica, sive specifica, dicitur etiam *essentialis*.

3° Identitas dicitur *numerica*, quando constat relatione logica, seu cum plures conceptus sunt identici secundum individuam rei entitatem.

Quando plura conveniunt in qualitate aut quantitate, eorum identitas proprie dicitur similitudo aut æqualitas.

II. De distinctione (*a*).

385. — Identitati opponitur distinctio, ut exclusio illius. Distinctio potest definiri : *carentia quædam unitatis inter plura.* Hinc distinctio, sicuti identitas, est quædam relatio, siquidem per eam res dicit ordinem ad aliud. Qua de causa a pluribus Scholasticis definitur, relatio transcendentalis qua aliquid dicitur ab altero diversum. Semper importat negationem identitatis plurium.

386. — Divisio distinctionis prima et adæquata est in distinctionem realem, et rationis.

1° Distinctio *realis* est carentia unitatis realis inter plura objecta; v. g. distinctio Petri a Paulo. Dicitur dis-

(*a*) D. Thom. I, Dist. II, qu. 1, art. 3; ibid. dist. XIX, qu. 5, art. 1.

tinctio *realis* quia hæc carentia unitatis non venit a mente, sed est in rebus ipsis. Propriissime reperitur inter ea quæ ita sunt separabilia, ut utrumque possit esse sine altero, post factam separationem.

2° Distinctio *rationis* est carentia unitatis inter plures conceptus ejusdem rei, ac proinde importat multiplicitatem rei unius, prout subest mentis conceptibus.

Totuplex enim est distinctio quotuplex est ens : sed omne ens est reale vel rationis, ac proinde distinctio omnis erit realis vel rationis. Etenim distinctio fit vel dependenter vel independenter ab intellectus fictione : sed prior modus est distinctionis realis, et posterior logicæ.

De distinctione reali.

387. — Distinctio realis in plures alias subdividitur.

I° Dividi solet in *adæquatam* et in *inadæquatam*, prout distincta secundum *totum* esse, aut secundum *aliquid* tantum, nempe juxta partem sui esse, non sunt identica. Ex. : duo homines; homo et corpus.

II° Distinctio realis subdividi solet etiam : 1° in stricte realem seu realem majorem, 2° in realem modalem seu minorem, et 3°, juxta quosdam Thomistas (Goudin et alios), in virtualem intrinsecam (1).

Distinctio *realis major* est distinctio rei a re, ac proinde viget sive inter substantias saltem numero separatas, v. gr. duo homines; sive inter principia substantiam compositam constituentia, v. g. anima et corpus in homine.

Distinctio realis minor seu *realis modalis* est distinctio rei a modo, atque viget inter substantiam ejusque modificationes (354); v. g. inter marmor ejusque formam aut extensionem. Unum potest esse sine alio, sed non vice versa.

388. — Distinctio *virtualis*, in genere accepta, viget cum una simplex entitas propter sui excellentiam pluribus æquivalet. Dicitur *virtualis*, quia movet intellectum ad talem distinctionem efficiendam; est *virtus* aut facultas quam habet una eademque res diversos effectus producendi; v. g. « Virtus *calefactiva* solis continet

(1) Goudin, *Phil. metaphys.* q. 2, a 2. § 1.

eminenter vim *indurativam* luti et *liquefactivam* ceræ, etc. » (Frassen). Est ergo potius fundamentum distinctionum rationis ratiocinatæ quam distinctio proprie dicta. Si sumatur ut distinctio, debet revocari ad genus distinctionum rationis.

389. — Distinctio virtualis *intrinseca* quorumdam Thomistarum est capacitas rei ad suscipienda prædicata intrinseca ex se contradictoria ante omnem intellectus operationem; v. g. in homine est animalitas et rationalitas; porro his singillatim sumptis possunt tribui prædicata contradictoria, eodem modo ac si duo essent distincta subjecta. Hinc distinctio hæc, juxta laudatos auctores, foret realis utpote quamlibet mentis operationem prævertens.

Scotistæ loco hujus distinctionis virtualis intrinsecæ aliam subrogant quam *formalem actualem ex natura rei* vocant. Viget inter duas formalitates ejusdem rei, v. g. inter animalitatem et rationalitatem, quarum una *ante mentis operationem* non sit formaliter altera. Formalitatum nomine intelligunt essentialia prædicata ejusdem rei vel individui quæ diversimode definiuntur; una formalitas, juxta ipsos, de altera negari potest et alicui rei convenit quatenus tali, dum alteri quatenus tali nequaquam, adeoque actu distinguuntur objective ex natura rei ante intellectus operationem.

Istæ distinctiones quorumdam Thomistarum et totius scholæ Scoti, quas historice retulimus, multis theologis et philosophis non videntur probandæ : 1° quia dum ipsi Deo applicantur, nonnisi operose dogmatibus fidei accommodantur. 2° Quoad distinctionem Scotistarum, si ex natura rei animal et rationale in homine distinguerentur citra mentis operationem, jam unum realiter non esset aliud, sed essent duo realiter distincta. Atqui Scotistæ ipsi negant distinctionem hanc esse realem. Ergo sibi contradicunt.

De distinctione rationis.

390. — Distinctio rationis dividi etiam potest in majorem, minorem et minimam.

1° *Major* ea est quæ viget dum ratio distinguit entitatem virtualem in varios conceptus perfecte distinctos,

quorum unus non includitur in alio; v. gr. animalitas, rationalitas in homine.

2° *Minor* locum habet cum unus conceptus non explicite sed implicite continet alium; v. g. in ente verum et bonum.

3° *Minima* dicitur ea distinctio rationis quæ non habet fundamentum in re, quæque propterea nuncupatur etiam *pure mentalis*, aut etiam rationis *ratiocinantis* (active, quia est totum opus rationis).

391. — Duæ primæ species constituunt genus distinctionum rationis *ratiocinatæ*, seu cum *fundamento in re*, et 1ª est quam facit intellectus, oblata sibi occasione immediate ex parte rei : unde dicitur maxime rationis *ratiocinatæ*.

I. Distinctio rationis ratiocinatæ fit a ratione, cum rem unam eamdemque pluribus conceptibus formaliter diversis exprimit. Cum una eademque essentia per plures conceptus *præcisivos* cognoscitur, viget inter hos conceptus distinctio rationis cum fundamento in re : cuilibet membro distinctionis respondet aliqua realitas. Hæc distinctio dicitur etiam *formalis*, aut melius diceretur *pure formalis*, quia unius conceptus definitio, seu ratio formalis, differt ab alterius definitione.

II. Distinctio rationis ratiocinantis rem unam eamdemque pluribus etiam exprimit conceptibus, inde in hoc convenit cum distinctione pure formali; sed ab hac differt, in quantum in seipsis hi conceptus non sunt diversi et tamen inter se comparantur ut diversi; v. g. si in Petro distinguatur ratio subjecti et ratio attributi in hac propositione : Petrus est Petrus, vel si definitum distinguatur a definitione, ut cum dicitur homo est animal rationale.

III. Distinctio rationis ratiocinatæ quam distribuimus, cum multis auctoribus, in majorem et minorem, dividi etiam solet ab aliis pluribus in *formalem et virtualem*. Sed formalis una eademque est cum ipsa distinctione rationis ratiocinatæ, ac proinde, stricte loquendo, ut ejus species haberi nequit. Virtualis distinctio generatim sumpta, non pro distinctione rationis ratiocinatæ, sed melius pro ejus fundamento usurpari debet; fundamentum est rei fœcunditas virtute sua capacis plurium conceptuum inter se distinctorum.

CAPUT IV.

DE CAUSIS.

De causis in genere (*a*).

392. — Causarum consideratio ad metaphysicam pertinet, quia metaphysica considerat ens in communi, quod est causa vel ex causa, principium vel ex principio.

Nomen causæ variis modis a philosophis usurpatur : 1° *Generalissime*, pro eo omni quod necessarium est et prærequisitum ad productionem alicujus effectus; quo sensu non solum rerum principia, sed etiam conditiones *sine quibus non*, dicuntur causæ. 2° *Strictius*, pro eo a quo aliquid est et denominatur effectus. 3° *Proprie*, pro quolibet principio producente cum reali influxu.

393. — *Principium* et *causa* in hoc discrepant quod ad rationem principii sufficit *habitudo unius ab alio*, dum ad rationem causæ requiritur influxus realis in effectum. Principium est id *a quo aliquid quocumque modo consequitur*. Quod ab alio consequitur, *principiatum* dicitur, quod importat connexionem aliquam sive consecutionis, sive causalitatis.

Connexio intrinseca seu constituta positivo influxu unius in aliud, locum dat triplici generi principiorum, nempe 1° principio *cognitionis*, quando influxus est in *ordine logico* ; 2° principio *essendi*, quando influxus est in *ordine metaphysico*, (principia essendi seu intrinseca sunt id quod in essentia respondet generi et differentiæ in definitione) et 3° principio *existendi*, quando hic influxus est in *ordine physico* et communicat esse alteri vel tanquam pars constitutiva ejus essentiæ, vel tanquam influens in ejus productionem.

394. — *Prioritas* principii respectu principiati est triplex : principium potest esse prius suo principiato vel *tempore*, vel *natura*, vel saltem *origine*. Ex. : Tempore Philippus fuit Alexandro prior; natura lux est prior suis radiis; origine *sola* prior est Deus Pater suo Filio coæterno : hic tamen ordo *originis* posset etiam appellari ordo *naturæ*, quia non est liber, sed *naturalis*. Verum

(*a*) Vid. S. Thom. p. I qu. 33. art. 1; ibid. qu. 77 art. 6 ad 2.

prioritas naturæ ea intelligitur quæ est ex *natura* rei Itaque origine sola Deus Pater est prior Filio.

395. — Causa revocatur ad principium tanquam species ad genus. Potest definiri : *Principium influxu suo determinans aliquid sibi insufficiens ad existendum*. Dicitur in definitione *influxu suo*, ut indicetur intrinseca causæ cum effectu connexio.

Causa quadruplex statui solet, post Aristotelem, *materialis* videlicet, *formalis*, *efficiens* et *finalis*.

Etenim « nihil producitur a seipso, alioquin esset antequam esset : ergo quidquid producitur, ab alio producitur. Illud autem est *causa efficiens*.

« Insuper : nullum agens naturale aliquid producit ex nihilo. Ergo producit ex præsupposito subjecto : hoc autem est *causa materialis*.

« Rursus : dum aliquid producitur in subjecto, istud subjectum realiter mutatur. Ergo recipit aliquid reale quo antea carebat : id vero dicitur *causa formalis*.

« Præterea : omne agens naturale non agit temere et inordinate, sed ob certum aliquem finem... Ergo admittenda est *causa finalis*, ac proinde quatuor illæ causæ merito numerantur » (Frassen) (1).

Omnes aliæ causæ ad aliquam ex quatuor prædictis reducuntur.

Hinc disputationem de causis in quatuor distribuemus articulos : in primo articulo agemus de causa efficiente; in secundo, de causa finali; in tertio, de causa formali; in quarto tandem, de causa materiali.

ARTICULUS I.

De causa efficiente (a).

I. Quid et quotuplex sit causa efficiens?

396. — Causa efficiens est *id a quo aliquid fit*, seu ut ait Scotus, « est illud propter quod alterum est, » *tanquam ab illo*, ut ignis est causa efficiens caloris. Per *cau-*

(1). *Phil. accad.*, I. p. d. 11, q. proœm., c. 11.

(a) D. Thom. p. I. qu. 49 et III *Contra gentes* cap. x. — Qu. 27 inter disp. *de Veritate* art. 4. — P. I. qu. 2, art. 2; qu. 12. art. 12. — III *Contra gentiles* cap. 69. — P. I, qu. 105, art, 5. *De Potentia* qu. III. art. 7.

salitatem intelligitur id quo aliquid redditur causans actu; est igitur influxus actualis causæ in effectum : v. g. causalitas per quam sol de illuminativo fit actu illuminans, est illuminatio activa.

Effectus est id quod ex effectione illa consurgit.

Ad agendum requiri possunt quædam adjuncta *sine quibus* actio sequi non posset; requisita hæc ad agendum *conditiones* appellantur. Quando istæ conditiones nullatenus suppleri possunt, dicuntur conditiones *sine quibus non*.

397. — Causarum efficientium multæ feruntur divisiones :

1° Causa efficiens dividitur in physicam et moralem.

Causa dicitur *physica* quæ per se directe et immediate attingit et causat effectum, influxu suo reali et physico.

Causa *moralis* ea est quæ virtute propria non producit effectum, neque ad illius productionem physice cooperatur, sed solum aliam causam consiliis, imperio, prohibitione, præmio, etc., inducit ad operandum : hæc causa ergo est imperans, consulens, non impediens,etc.

2° Utraque causa est vel *principalis*, cui nimirum principaliter attribuitur actio, v. g. causa principalis physica alicujus scripti est scriptor; vel *instrumentalis* quæ non operatur nisi virtute alterius, seu quæ a principali movetur ac regitur : v. g. calamus, est causa instrumentalis physica.

3° Causa principalis dividitur in primam et secundam.

Causa *prima* dicitur illa quæ ab alia non pendet, et a qua cæteræ omnes dependent, ut Deus, qui dicitur etiam causa *universalis*, eo quod universim omnem effectum attingat. Causa enim universalis dicitur, quæ concurrit ad omnes effectus producendos, dum causa *particularis* ea est quæ ad unum vel aliquos concurrit effectus.

Causa *secunda* ea est quæ pendet a prima, ac proinde respectu Dei est omnis causa creata, quia dependenter agit ab ipso, atque etiam vocatur *particularis*.

4° Causa efficiens etiam dividitur in causam per se et causam per accidens.

Causa *per se* est illa a qua directe pendet effectus secundum illud proprium esse quod habet in quantum effectus est : v. g. pictor est causa picturæ.

Causa autem *per accidens* ea est quæ conjungitur cum

causa vere influente, ipsa autem nihil influit, ac proinde non est vera causa; v. g. fulgor est causa per accidens combustionis, dum ignis est causa per se.

5° Dividitur in adæquatam et in inadæquatam. Dicitur *adæquata* seu *totalis*, quando per se effectum totalem producit. At potest esse totalis *totalitate causæ*, ut in data definitione, vel tantum *totalitate effectus*, dum concurrit cum altera ad totum effectum producendum : quo casu est totalis ratione effectus et partialis ratione causalitatis. Est *inadæquata* seu *partialis*, quando aliarum causarum consortio indiget ut par sit effectui præstando.

6° Causa efficiens etiam dispescitur in *necessariam* et *liberam*, prout, positis omnibus ad agendum requisitis, non potest non agere, vel secus : v. g. sol necessario illuminat; ignis calefacit : sol respectu illuminationis, ignis respectu combustionis sunt causæ necessariæ; causæ liberæ dicuntur entia quæ facultate eligendi fruuntur.

7° Causa etiam dividitur in *univocam* et *æquivocam*, prout effectum producit sibi similem vel dissimilem; ex. : planta, quæ aliam producit plantam, est causa univoca hujus effectus. Architectus qui domum ædificat, est causa æquivoca.

8° Tandem dividitur in *proximam* et *remotam*. Illa est quæ sine intermedia causa in effectum influit; hæc vero quæ intercedentibus causis agit. Causa omnis non potest agere in subjecto præexistente, nisi per se vel per aliud sit ipsi subjecto *præsens :* causa enim agere nequit ubi non est, ac proinde debet esse præsens vel *immediate* vel *mediate*.

398. — Causa immediata applicatur subjecto in quo agit : 1° per *unionem physicam*, ut cum anima in corpus sibi conjunctum agit; 2° per *contiguitatem*, ut cum ceram manu contrectamus; 3° per *identitatem*, ut cum anima in seipsam agit.

Mediata causæ applicatio ad subjectum habetur : 1° per *instrumentum*, ita scriptor agit calamo; 2° per *emanationem*, uti nardum agit in olfactum; 3° per *actionem* in causam immediatam, ut corpus vibrans per aerem sonum diffundit; et tandem 4° per *influxum moralem :* hinc omnes causæ morales sunt etiam causæ mediatæ.

II. Principia ex conceptu causæ efficientis dimanantia.

399. — Principium causalitatis, *omnis effectus habet causam*, exsurgit ex ipsis conceptibus causæ et effectus. Unde principia derivata tantum sunt consideranda et explicanda : *Omnes perfectiones effectus aliquo modo præcontinentur in causa adæquata*; nam, ut fert effatum, *nemo dat quod non habet*. Hinc exsurgit veritas adagii : *omne agens agit sibi simile*.

Perfectio alicujus effectus tripliciter in causa præcontineri potest :

1° *Formaliter*, quando perfectiones effectus et causæ sunt ejusdem speciei : v. g. lux in igne.

2° *Eminenter*, cum causæ perfectiones sunt nobilioris ordinis quam perfectiones effectui communicatæ : v. g. sapientia divina quamlibet sapientiam creatam eminenter præcontinet.

3° *Virtualiter*, quando causæ activitas potest effectui conferre perfectionem diversi generis. Sic artifex operis quod fecit perfectionem continet.

Exinde patet diversitatem effectuum non semper arguere diversitatem causarum, cum una eademque causa pluribus possit viribus pollere; sed *omnis effectus subaudit causam;* porro quidquid fit est effectus, ac proinde habet causam.

400. — Duo effata a Scholasticis sæpenumero usurpata breviter explicari debent :

I. *Principium. Modus operandi sequitur modum essendi*, dummodo 1° non agatur de operationibus liberis, 2° ita intelligatur ut modificato intrinsecus immediato operandi principio, quod est *activitas*, ipsa quoque operatio modificari debeat.

II. *Principium. Causa causæ est causa causati*. Agitur de causa quæ alteram non modo producit causam, sed etiam ad *agendum* determinat; causa enim quæ alteram simpliciter produceret, quin illam ad agendum determinet, non posset stricte dici causa effectuum. V. g. : Pater non est causa criminum filii; sed artifex, qui machinam, quam fecit, ad tales exclusive effectus determinavit, est vera causa eorum quæ facit hæc machina.

III. De quibusdam erroribus contra notionem et realitatem causarum efficientium.

401. — I. *Error*. Lockius, et post eum Humius ac recentiores positivistæ, notionem causæ perverterunt. Putaverunt enim nos ideam causæ non habere, aut saltem ideam quam habemus, esse fictitiam, ideo quia ab *experientia* idea hæc haberi nequeat. Sensus enim et conscientia, inquiunt, nos causalitatem non docent : 1° Sensus externi non referunt nisi meras successiones phænomenorum; 2° Conscientia et sensus internus non renuntiant nisi facta interna, quin de eorum mutua connexione aliquid dicant. Ergo non habemus conceptum causæ.

Sed tota hæc argumentatio falso nititur supposito : perperam enim oggerunt omnes notiones exordium unice ducere ab experientia sensili. Falsitatem hujus suppositi demontrabimus in Psychologia. In præsens ut gratuita hypothesis haberi potest, et exinde nihil vetat quominus conclusiones ipsas circa notionem causæ ut gratuitas habeamus.

402. — Thesis. *Notionem causæ habemus.*

Hujus propositionis veritas in promptu est; nam etiamsi *origo* hujus ideæ nobis esset incomperta, ejus tamen existentia 1° a conscientia ipsa clare refertur : distinguimus enim causalitatem a mera occasione; certum est *internam* experientiam seu sensum intimum referre *activum* influxum nostrarum virium in actiones quas elicimus : v. g., influxum voluntatis in motu corporis, in applicatione mentis ad legendum. Ergo, ipsa testante experientia, falsum est nos non habere ideam causæ, et causalitatem non cognoscere. 2° Notio causæ reperitur affirmata et præsupposita in omnibus linguis; quapropter veritas propositionis in confesso est apud omnes.

403. — *Scholium. Notio causæ originem habet in experientia, non seorsim spectata, sed in ordine ad ratiocinium.* Experientia sive interna sive externa renuntiat factorum successionem imo interna activum influxum causæ in effectum ideoque hujus cum illa connexionem; sed intellectus, qui factorum naturam rimari potest, ad mutuam eorum relationem manifestandam

valet. Sic exsurgit in mente principium causalitatis (399) quod proinde valorem objectivum habet.

404. — II. *Error.* *Occasionalismi* systema, quod celebritatem suam Nicolao Malebranche potissimum debet, affirmat creaturas nulla instrui activitate, sed meras esse occasiones quarum intuitu Deus effectus omnes, qui ab istis creaturis produci videntur, solus operatur.

Alii occasionalistæ, qui *rigidiores* vocantur, omnibus creaturis, ne spiritibus quidem exceptis, activitatem propriam ademerunt. Alii, qui *mitiores* nuncupantur, corporibus tantum activitatem denegarunt.

Juxta illud systema, causæ secundæ dici nequeunt causæ efficientes, sed meræ occasiones ob quas Deus operatur.

Contra occasionalistas, sequentes stabilimus theses.

405. — Thesis I. *Spiritus creati vera perfruuntur activitate, et non sunt causæ occasionales.*

Probatur 1° Ex testimonio conscientiæ. Conscientia testatur operationes quasdam fieri non tantum in nobis, sed etiam a nobis. V. g. Cum volumus aliquid, ad illud nobis comparandum pergimus; brachium extendimus ad librum aperiendum juxta determinationem voluntatis: istæ operationes fiunt non modo in nobis, sed etiam a nobis. Atqui operationes *a nobis* fieri nequeunt quin simus earum causa : si aliquid fit a me, profecto id efficio. Ergo spiritus haberi nequeunt tanquam causæ mere occasionales, sed sunt causæ vere efficientes.

Probatur 2° per argumentum apagogicum. Si Deus solus in nobis operatur, tunc 1° tollitur omnis libertas, ac proinde nullum est meritum aut demeritum; 2° omnia flagitia et scelera in Deum ipsum, tanquam in solam causam, refundi debent. Ergo ex absurdis consectariis patet falsitas systematis.

406. — Thesis II. *Corpora etiam aliqua propria fruuntur activitate.*

Probatur 1°. Ex experientia externa universali et constanti liquet corpora jugiter adhiberi ad determinatos edendos effectus; v. g. ignem ad comburendum, panem ad vitam corporalem alendam, medicinam hujus generis ad talem morbum curandum, etc. Atqui frustra

adhiberentur, si vi sua nihil conferrent ad hos effectus. Ergo aut vi sua aliquid conferunt, aut Deus *simulate* et *non recte* operaretur, dum ea adhibet ad determinatos effectus producendos.

2° Ex doctrina occasionalismi destrueretur scientia rerum naturalium; nam effectus, proprietates sensibiles, operationes, etc., quæ unice possunt nobis manifestare essentias, nullum haberent nexum intrinsecum cum his essentiis. Ergo scientia rerum naturalium, quæ versatur circa has essentias, esset impossibilis.

3° Tandem illud systema pantheismo favet, quia si Deus unice operatur, quare non unice existeret?

IV. De concursu causæ primæ cum causis secundis (*a*).

407. — Concursus generatim inspectus est cooperatio unius agentis cum alio agente. Per concursum igitur Dei naturalem intelligitur influxus divinæ virtutis in causarum secundarum operationes; et hæc necessaria assistentia causæ primæ cum omnibus causis secundis est opus mirabile et explicatu difficile; ad æquivocationes tollendas plura sunt prænotanda :

1° Concursus potest esse vel mediatus vel immediatus. Dicitur *mediatus* quando una causa dat alteri facultatem agendi, et eam conservat.

Quod Deus concurrat mediate ad omnes actiones creatas, dando et conservando causis creatis facultatem agendi, in confesso est apud omnes.

Dicitur *immediatus*, quando una causa per semet influit cum altera in ipsum effectum: Vocatur etiam *concomitans* et *simultaneus*, etsi aliquando latius sumatur, seu pro genere quod dividitur in prævium et simultaneum, ut infra dicetur (1).

(*a*) Quoad mentem D. Thom. vid. qq. disp. *de Potentia*; qu. 3 *de Creatione* art. 7. — *Contra gentes*, lib. III, cap. 70. — 1. 2. qu. 79; art. 2, qu. disp. *De Veritate*, qu. 22, *de Voluntate* art. 8.

(1) Quoad concursum immediatum, animadvertendum est illum a Scholasticis varie intelligi. Docent enim causam trifariam immediate ad effectum producendum concurrere :

1° Immediatione *suppositi* quoties effectum producit per actionem a se immediate promanantem : v. gr. dum ignis ignem generat.

2° Immediatione *virtutis* tantum, dum causa communicat alteri causæ virtutem suam productivam illius effectus : sic, v. g., ignis commu-

2° Concursus dicitur etiam negativus vel positivus. Est *negativus*, quando agens permittit, nihil per se ipsimet actioni conferens. *Positivus* appellatur, quando illud agens cum altero agente operatur.

3° Concursus etiam dividiturin physicum et moralem. Dicitur *physicus*, quando una causa alteram physice juvat, scilicet quando hic concursus fit per applicationem quamdam physicam et realem virium hujus causæ ad agendum. Dicitur *moralis* quando fit per modum consilii, imperii, et aliis motivis quibus ad aliquid agendum vel non agendum sollicitamur : est invitatio quædam objectiva.

Cum Deus moraliter concurrat tantummodo ad actiones honestas entium intellectu præditorum, hic concursus moralis *specialis* nuncupatur. Cum Deus physice et immediate concurrat cum omnibus causis secundis et in omnibus prorsus earum operationibus, hic concursus universalissimus *generalis* dicitur.

4° Concursus immediatus a Thomistis etiam dividitur in simultaneum et prævenientem. *Simultaneus* est, ut supra diximus, quando non est quid prævium actioni causæ adjutæ, sed recipitur immediate in effectu. Dicitur *prævius*, quando actionem natura sua prævenit, ac proinde recipitur, non in effectu, sed in potentia indifferenti, quam movet et applicat ad actum : sed ille a nobis vocatur potius mediatus. His positis, agendum est de *existentia* et *quidditate* concursus, præsertim immediati.

408. — Thesis I. *Deus per se et immediate influit in omnem actionem creaturæ, nec sufficit concursus mediatus.*

Nota. Hæc propositio est ita communis apud theologos et philosophos, quod Suarez affirmare non dubitaverit

nicat aquæ calorem et vim calefaciendi, et per eam calefacere postea dicitur. Et hic concursus magis proprie dicitur mediatus quam immediatus.

3° Immediatione *virtutis* et *suppositi* simul, quando aliqua causa tribuit alteri virtutem productivam, et insuper cum ea effectum producit.

Sed relictis illis obscuris distinctionibus, per concursum immediatum intelligimus illum tantum qui in *actionem et effectum* causæ secundæ influit, et non tantum movendo ad agendum vel dando et conservando facultatem agendi.

« eam negare erroneum esse in fide » (*Metaph.*, *disput.* 22, sect. 1.) (1).

Probatur 1°. Quælibet causa secunda essentialiter subordinatur causæ primæ quoad esse. Atqui non potest esse dependens quoad esse, quin sit etiam dependens quoad operationem. Ergo causa secunda a prima dependet etiam quoad operationem, et ideo Deus *cum ea* seu immediate concurrit ad omnes ejus effectus, et non tantum per eam seu mediate.

Atqui 1° hic influxus in actionem nequit consistere in aliquo principio prævio actioni; etenim Deus non influeret immediate in effectum, sed tantum produceret in causa actionis principium effectivum hujusce actionis. Igitur illud principium nequit esse totus concursus Dei, et ideo requiritur concursus per modum actionis. 2° Causa secunda in ordine ad actus naturales est completa in actu primo, secus idem diceretur de actibus naturalibus ac de supernaturalibus; ergo non eget principio superaddito ad eliciendos actus naturales, sed tantum concursu qui in sola actione consistat.

Major per se constat : Esse creaturarum est esse participatum et dependens.

Minor explicatione potius quam probatione indiget. Agentia sunt entia per participationem, etiam quatenus *agentia* sunt. Ergo hæc agentia pendent a Deo, seu ipsi sunt subordinata sive quoad esse, sive quoad operationem. Hinc Deus, qui immediate et indesinenter ea conservat, cum eis immediate concurrere debet ad omnes eorum effectus.

Probat. 2°. Deo competit supremum ac perfectissimum dominium in res omnes creatas, et istis summa subjectio et dependentia; porro pendere in conservari et in operari majus est quam pendere solum in conservari. Ergo causæ creatæ in suis operationibus debent dependere a Deo, non solum mediate sed etiam immediate.

409. — *Corollarium.* Ex dictis plane constat Deum *immediate* influere; sed agit etiam *mediate*, quatenus causæ secundæ dat, et præsertim quia eidem conservat virtu-

(1) S. Thomas, lib. III contra Gentes, cap. 89, damnat Origenem, quod negaverit illum concursum, et dicit id evidenter esse contra Scripturas.

tem agendi. Et hoc modo jam verum est Deum per illas agere : sed hoc non sufficit, ut probavimus, et necesse est ut etiam 2° immediate agat, seu per sese et virtute sua influat in talem actionem seu effectum (1). At de intima natura seu *quidditate* illius concursus speciatim agere oportet. Itaque.

410. — THESIS II. *Concursus divinus, fit per modum actionis, imo est aliquo modo ipsa causæ secundæ actio quatenus a Deo immediate procedit* (2). (Ac proinde est immediatus, et simultaneus).

Nota I. Concursus Dei *in se* spectatus est actio immanens seu ipsa Dei voluntas; dum consideratur *ratione effectus*, transeunti æquivalet actioni, et est aliquid ad extra. De hoc concursu transeunte in creatura recepto, (seu ad extra) agitur.

Nota II. Hic concursus naturalis non potest esse aliquid aliud quam *actio* vel *principium actionis;* nam præter hæc duo nihil reperitur in causa efficiente, ut efficiens est, quod rationem concursus habere possit. Non desunt auctores, recentiores Thomistæ præsertim, qui tenent illum concursum, diversum ab auxilio gratiæ, esse aliquid per *modum principii*. Contra hanc sententiam, præsentem thesim propugnamus.

Probatur prima pars : Concursus est aliquid per modum actionis, seu non est aliquid prævium actioni. Concursus Dei, quatenus est aliquid ad extra, debet per se ac immediate influere in ipsam actionem creaturæ, cum hæc actio causæ secundæ, non secus ac effectus quilibet habeat aliquid entitatis *participatæ*, ac proinde hac ratione a Deo manantis (408). Tandem concursus ad actus haberi debet ut aliquid tendens ad suum terminum, seu aliis verbis, per modum actionis.

Probatur secunda pars : Concursus est ipsa actio causæ secundæ, quatenus etiam a Deo immediate pendet. Est sententia communior, cui tamen plures reluctantur. Concursus est aliquid *per modum actionis*. Atqui actio,

(1) Suarez, disp. 22, s. 1, n. 16, et plures alii post eum, docent nullam creaturam fieri posse a Deo quæ operetur sine immediato Dei concursu, cum impossibile sit ut creatura non subjaceat perfectissimo Dei dominio.

(2) Hic non agitur proprie de actibus supernaturalibus, ad quos requiritur aliquid prævium actioni liberæ seu gratia præveniens.

quæ est ipse effectus prout actu fit, est numero unica et indivisibilis respectu causæ primæ et secundæ. Si alia enim esset actio Dei et alia actio creaturæ, Deus cum creatura reapse non concurreret, et effectus immediate a Deo non procederet. Ergo (1).

Verumtamen actio hæc, prout est a Deo, differt formaliter a se ipsa prout est a creatura, quia implicat ut actio, quatenus est a Deo, sit a creatura. Igitur concursus Dei non est actio realiter distincta ab actione creaturæ, sed formaliter tantum, adeo ut una et indivisibilis sit actio Dei et creaturæ.

411. — *Corollarium.* Causa prima concipitur ut causa totalis, dum causa secunda concipitur etiam ut causa totalis, sed dependens et primæ obnoxia. Effectus, seu hæc unica actio, est aliquid indivisibile ordinem dicens ad utramque causam, et exinde utraque causa totalis est, et suo modo totum effectum causat. Quapropter ex concursu Dei et ex activitate causæ secundæ exurgit principium proximum adæquatum actionis.

* De præmotione physica Thomistarum.

412. — Exposita existentia et quidditate concursus divini, remanet ut agamus de modo quo causa prima et causæ secundæ *conjunguntur* ad operandum : cum unica sit actio utriusque, conjunctio aliqua requiritur.

Celebris est inter philosophos et theologos controversia, utrum præter *simultaneum* concursum, requiratur insuper influxus aliquis quo Deus causas secundas moveat et determinet ad agendum, earumque actiones præveniat prioritate naturæ et causalitatis.

Thomistæ, ab angelici Doctoris mente deviantes (2), ut dicunt eorum adversarii, *præmotionem physicam* induxerunt, qua Deus omnes actiones creaturarum sive necessarias sive liberas præmovet per quamdam applicationem physicam et realem ad agendum. Nisi adesset hæc divina præmotio, nulla prorsus, juxta ipsos, foret creaturarum actio. Hæc præmotio, quate-

(1) Conf. D. Thom. 1 p. q. 105, a. 5 ad 2.

(2) Vide Schneeman, Controv. de grat. div... cap. III.

nus actionem præcedit eamque determinat, seu potentiam activam ex indifferenti reducit ad actum determinatum, dicitur prædeterminatio. *Prædeterminatio* ergo seu præmotio est aliquid prævium actioni creaturæ. Deus ad effectus quoscumque immediate concurrit, etiam communicando causis secundis virtutem specialem, a qua egreditur immediate actio causæ secundæ, ita ut repugnet omissio illius actionis.

Quænam sit natura hujus virtutis impertitæ? id non uno modo traditur a variis assertoribus hujus opinionis. 1° Juxta Estium, est ipsa creaturæ actio, ut a Deo prius procedens prioritate naturæ, quam concipiatur a causa secunda procedere. 2° Juxta Joannem a S. Thoma, est qualitas potentiæ activæ tributa, sed transiens cum ipsa operatione causæ secundæ et ab eadem distincta, qua prima causa movet, determinat et impellit secundam ad agendum. 3° Denique juxta plerosque Thomistas, prædeterminatio est aliquod ens (non actio causæ secundæ aut qualitas activa) incompletum, cum operatione causæ secundæ transiens, et ejus virtutem activam complens ad operandum. Quid sit illud ens? id non omnino distincte explicant. Sed relictis illis variis explicationibus considerabimus ipsam prædeterminationem generatim sumptam.

413. — Thesis. *Prædeterminatio physica non est admittenda.*

Probatur. Sententia quæ adstruit rem prorsus inutilem, libertati creatæ nocivam, divinæ sanctitati plus minusve repugnantem, eliminanda est. Atqui talis videtur sententia quæ præmotionem physicam adstruit. Ergo præmotio physica non est admittenda.

1° Est *inutilis*, nam sine tali præmotione, causa secunda est proxime disposita ad agendum cum ordinario Dei concursu, qui etiam sufficit ad explicandam essentialem causæ secundæ subordinationem respectu primæ. Ergo videtur inutilis, ac proinde eliminanda, juxta effatum Scholæ : Entia non sunt multiplicanda sine necessitate.

2° Est *nociva libertati*. Libertas consistit in indifferentia, qua voluntas potest agere, vel non agere, et

hunc vel illum actum pro libito et arbitratu exercere. Atqui illa prædeterminatio physica hanc indifferentiam perimit, siquidem ante omnem voluntatis consensum hanc facultatem infallibiliter determinat ad actum seu ad unum. Ergo ex hoc secundo capite est etiam eliminanda.

3° *Repugnat sanctitati Dei.* Hæc præmotio physica, ut dicunt adversarii, Deum auctorem peccati facit; id enim eruunt, ut corollarium, ex superiori parte probationis. Ergo sententia Thomistarum sustineri nequit.

Verum Thomistæ acriter repellunt has criminationes, hoc præcipue fulti axiomate : Deus movet unumquodque secundum proprietatem ejus. Porro cum agitur de causa libera, Deus, ut aiunt, voluntatem movet ad hoc ut deliberet, et per electionem se determinet. Ergo non destruit libertatem, nec proinde Dei sanctitati repugnat; imo rejecta hac prædeterminatione, Deus non esset amplius causa prima (1).

At argumentum non cogit; nam si Deus concursum dat ad modum voluntatis, debet dare auxilium natura sua indifferens ad diversos actus, siquidem libertas componi nequit cum determinatione ad unum. Hinc sicut voluntas libera est indifferens, ita concursus debet esse indifferens, non autem prædeterminans. Sed fusior de hac re disputatio ad Theologos pertinet

ARTICULUS II.

De causa finali (*a*).

I. De notione causæ finalis.

414. — Nomen *finis* metaphoricum est, desumiturque, ait Frassen, ab ipsis agrorum terminis. Ut enim limites, agrum, sic finis operationem agentis terminat : quo sensu ab Aristotele accipitur pro eo quod

(1) Vide Goudin, *Metaph.* q. IV.

(*a*) De fine, de fortuna et fato tractat D. Thom. in II Physicorum, lect. 5; in III et V, *Metaphys.* lect. 3 et 4. — qq. disput. *De Veritate*, qu. 22. *De Boni appetitu et voluntate*, art. 2. — 1. 2. qu. 26, art. 2. — *Contra gentes*, lib. 3, cap. 2, n. 7. — p. I, qu. 22, art. 2; qu. 116, art, 1, 2, 4.

movet agens ad agendum. Finis ergo est *id propter quod* vel *ad quod aliquid fit..*

415 — Thesis I. *Finis est vera ac proprie dicta causa.*

Probatur. Illud est causa propter quod alterum est. Atqui effectus est propter finem : sic, v. gr., propter *sanitatem* est sumptio medicinæ. Ergo finis est vera et proprie dicta causa.

Major constat : illud enim est causa per quod respondetur ad quæstionem *propter quid* res sit; porro huic quæstioni respondetur per causam finalem.

Minor etiam patet. Finis enim vere movet agens ad operandum, ita quod si non moveret, agens non ageret, nec proinde fieret effectus. Ergo, etc.

416. — Thesis II. *Omne agens agit propter finem.*

Nota I. Omnibus rebus præstitutus est aliquis finis in quem quæque, licet diverse, suis actionibus tendunt.

1° Quædam agentia *formaliter* agunt propter finem : ea sunt quæ finem cognoscunt sub ratione finis, uti omnia agentia ratione prædita.

2° Quandoque agens tendit in finem non cognoscendo finem, ut finem, neque *proportionem* mediorum cum fine, sive in eum proprio motu, sive alieno dirigatur; tunc *materialiter* agit propter finem, uti bruta et agentia sensu destituta, quæ ab Auctore naturæ ducuntur. Sed bruta, ut ait S. Thomas, in finem *executive* et *apprehensive*, quia tendunt aliquam finis cognitionem habent : v. gr., equus quærens pabulum; dum agentia sensu destituta *executive* tantum finem appetunt : sic sagitta se habet ad scopum.

Nota II. In propositione asseritur omnia agentia sive sensu destituta, sive sensu et intellectu prædita agere propter finem.

Probatur. Agere propter finem, idem est ac habere aliquid suæ operationi præfixum, in quod tendat impetus agentis. Atqui cujuscumque agentis motus ad certum aliquem effectum tendit, siquidem non indifferenter se habet ad multa, seu non omnes effectus sunt ei indifferentes. Ergo omnia agentia agunt propter finem.

417. — THESIS III. *Finis in ordine causarum est prima, non tamen ut terminans, sed ut movens.*

Probatur prima pars. Prima dici potest ea causa quæ non potest subtrahi, quin aliæ corruant. Atqui subtracto fine agens non operaretur. Ergo, etc.

Probatur secunda pars. Verumtamen finis hic non consideratur ut terminans, nam sub hoc respectu non est causa. Etenim omnis causa, sub ea ratione qua causa est, intelligitur esse prior suo effectu. Sed finis, ut terminans operationem, non intelligitur ut prior illa operatione : sanitas, v. gr., est aliquid sumptione medicinæ posterius. Ergo finis ut *terminans* non est causa, ac proinde ut movens tantum *causat.*

418. — THESIS IV. *Qui vult finem, velle debet et media.*

Probatur. Non potest finem reapse velle, qui ea sine quibus finis haberi nequit, velle recusat. Atqui hæc sunt media. Ergo qui non vult media sine quibus finem assequi non potest, finem, saltem in quantum finem, realiter non vult.

II. De variis divisionibus causæ finalis.

419. — Finis dividitur 1° in finem objectivum et finem formalem, seu *finem quo.* Finis *objectivus* est res in qua ratio boni desiderati invenitur. Finis *formalis* est ipsa rei adeptio. Sic finis objectivus avari est pecunia; finis formalis est pecuniæ possessio.

2° Finis etiam dividitur in finem qui et in finem cui. Finis *qui* est ipsum bonum propter quod fit actio : v. gr., sanitas in curatione. Finis *cui* est subjectum cui bonum illud volumus : v. gr., homo cui procuratur sanitas.

3° Dividitur in finem operis et in finem operantis, seu, aliis verbis, in finem *intrinsecum* et finem *extrinsecum.* Finis *operis* est id ad quod opus natura sua ordinatur : v. gr., finis actus sanandi est sanitas. Finis *operantis* est id quod agens intendit, v. gr., lucrum pro actu operarii. In agentibus naturalibus seu necessariis idem est finis operis et finis operantis; sed in agentibus liberis sæpe inter hos fines est diversitas : finis enim architecturæ est habitatio, dum finis architecti est lucrum, fama, etc.

4° Dispescitur in finem proximum, intermedium et ultimum.

Finis *ultimus* is est propter quem cætera volumus, ipsum vero propter se tantum : ad ulteriorem finem hic non ordinatur. At id dupliciter intelligi potest : vel enim ad aliud non ordinatur *ab operante*, et sic sanitas est finis ultimus quem intendit æger qui medicinam ebibit; et hic finis dicitur ultimus *secundum quid;* vel non ordinatur *ex se et natura sua*, et tunc dicitur finis ultimus *simpliciter* : sic Deus est vere omnium finis ultimus, quia ad Deum omnia ordinantur, dum ipse ad nullum aliud ordinem dicit.

Finis *intermedius* est id propter quod aliquid volumus, et quod ulterius vel ab operante vel ex se ordinatur.

Finis *proximus* est id quod proxime et immediate intenditur.

Ex. : Quando quis corpus suum affligit propter virtutem, quam quærit ut placeat Deo, *Deus* est finis ultimus hujus coercitionis, *virtus*, finis intermedius, denique *refrænatio passionum* est finis proximus.

Finis proximus est medium ad finem intermedium; hic autem est etiam medium ad finem ultimum : unde in tantum habent rationem causæ finalis in quantum habent rationem medii.

420. — In hac ordinatione mediorum respectu finis ultimi, qui est ratio propter quam media amantur et adhibentur, duplex ordo distingui debet : ordo *intentionis* et ordo *executionis*.

In ordine intentionis, id quod primum intenditur est finis, dum in ordine executionis primum est medium magis remotum respectu finis. Hinc effatum Scholasticorum : *Quod est primum in intentione est ultimum in executione*.

Intentio enim est actus voluntatis qui circa finem et media versatur; porro voluntas intendit primum finem, ad cujus adeptionem tantum vult media. Atqui executio nonnisi per media adipiscitur finem. Ergo finis, qui est ultimus in executione, est primus in intentione. Ex. : Architectus qui domum adificare vult, debet etiam velle ædificationem parietum, coadunationem lapidum et cæmenti, etc. Primum quod intendit, est finis seu domus ædificata; vult proinde exstructionem parietum, et prop-

ter hanc voluntatem vult coadunationem lapidum. Sed in ordine executionis, debet primum coadunare lapides, postea extruere parietes, ac denique totam domum perficere. Finis ultimus igitur est id quod primum existit in intentione, licet ultimum veniat in executione.

Scholium. Ex dictis de causa, constat *casum, fortunam* et *fatum* non esse causas. Casus est id quod præter intentionem vel expectationem agentis evenit; refertur ad intellectum eumque ignorantem, et ideo non negat causæ existentiam, sed tantum dicit illam non præcognosci, et nullo modo est ratio cur res sit. Fortuna vero differt a casu, in eo quod res non evenit præter desiderium; per se etiam nihil est, ac proinde nequit habere rationem causæ. Idem dicendum de fato, quod dicit successionem eventuum seu effectuum sine causa cognita seu assignata. Sequitur quod dicere « mundum regi a casu vel fato » est propositio sensu destituta.

ARTICULUS III.

De causa materiali et formali.

I. De materia.

421. — Materia est id ex quo aliquid fit. Universim sumpta concipitur ut imperfectum quid de se indifferens ad multas determinationes : generatim ergo in aliquo composito est *res perficienda.*

Materia a Scholasticis trifariam distingui solet : materia ex qua, in qua, circa quam. 1° Materia *ex qua* dicitur id omne ex quo, tanquam ex subjecto, fit aliquid : sicut ex auro fit statua. 2° Materia *in qua* dicitur id in quo, tanquam in subjecto, forma recipitur : sic nix est albedinis sibi inhærentis materia in qua. 3° Materia *circa quam* dicitur id omne circa quod agens aliquid operatur : sic lignum est materia circa quam ignis agit.

Materia etiam dividitur in primam et secundam. Materia dicitur *prima*, quando consideratur prout est in se, et quatenus nec aliqua forma vestitur, nec ad formam recipiendam aliquibus præviis dispositionibus afficitur. *Secunda* vero nominatur dum aliqua forma aut dispositionibus ad eam recipiendam induitur.

Materia physica prima dicitur *subjectum primum*, ut distinguatur a quolibet composito, ac proinde est *substantia physice incompleta, a forma substantiali determinabilis ad faciendum corpus naturale.*

422. — Thesis. *Materia rationem habet veræ causæ.*

Probatur. Causa dicitur quidquid aliquo modo influit in productionem alicujus effectus. Atqui materia est omnino requisita in illo composito quod dicitur effectus, ideoque influit in esse ipsius : v. g. marmor influit in esse statuæ Cæsaris. Ergo materia rationem habet veræ causæ.

Effectus resultans ex materia et forma est compositum constans ex utroque principio unum aliquid constituente, ac proinde in *illo composito* fit mutua communicatio propriæ entitatis tum materiæ, tum formæ.

423. — *Scholium.* Quando materia consideratur respectu formæ quæ *ab ipsa non educitur*, non est causa materialis, sed tantummodo conditio ut illa fiat : v. gr. corpus humanum respectu animæ est quidem subjectum, non vero causa materialis.

424. — Materiæ et formæ causalitas est influxus quo simul unitæ concurrunt ad constituendum compositum, illa per modum subjecti *actuati*, hæc per modum formæ *actuantis*. Hic influxus est realis et physicus, nam istæ causæ sunt vere physicæ.

II. De forma.

425. — Forma est id quod materiam perficit seu determinat ad quamdam perfectionem. Inde in aliquo composito est *res perficiens*, quapropter solet definiri : *id per quod aliquid fit*, nempe id quo materia determinatur in aliquo genere entitatum; unde dicitur etiam *ratio essentiæ* seu compositi. A scholasticis quandoque *actus* appellatur, quia composito dat ut actu sit tale ens.

426. — Hæc forma dividitur in *artificialem*, qualis est forma statuæ ex marmore, et in *naturalem*, ut anima. Hæc iterum duplex est : alia est *accidentalis*, quæ advenit composito seu subjecto constituto, ut color; alia est *substantialis*, quæ advenit materiæ ut cum ea compositum *substantiale* constituat : puta, animus humanus.

Forma substantialis generatim definitur : *Substantia*

physice incompleta materiam determinans ad faciendum cum ea corpus naturale. Forma substantialis est physice incompleta, sed completa metaphysice; suo enim genere constat et differentia. De hac forma fusius agemus in Cosmologia.

Istæ formæ omnes sunt et dicuntur *physicæ.*

427. — Sed præter has formas aliæ enumerari debent:

1° Formæ *metaphysicæ,* quæ abstractione mentis ut formæ concipiuntur. Quando res una eademque intelligitur diversis conceptibus quorum unus in hac re refert aliquid ut perficiendum aut determinandum, et alter exhibet id quod perficit et determinat, hic conceptus respectu alterius vicem formæ gerit, V. gr., in definitione alicujus rei, *genus* repræsentat aliquid determinabile, ac proinde habetur ut materia perficienda; *differentia* est id quod determinat, ac proinde est forma perficiens materiam.

2° Formæ *analogicæ.* « In composito ex partibus integrantibus, formæ dicuntur respectu cæterarum, partes « illæ, quæ cæteris complementum afferre videntur. Ita « caput in homine... Universim id quod rei ad plura in« differenti tribuit destinationem, usum, efficaciam de« terminatam, *forma* dicitur per *analogiam.* Hoc pacto « promulgatio dicitur forma legis, et theologi in sacra« mentis, materiam et formam distinguunt » (P. Tongiorgi, *Ont.*, 307, 3°).

428. — Thesis. ***Forma, saltem physica, est causa proprie dicta.***

Probatur. Compositum a sua forma habet ut sit id quod est (425); forma enim dat composito esse tam essentiæ quam existentiæ, illudque constituit in certo gradu entium. Atqui id quod alicui dat ut sit tale ens, profecto in illius esse influit, et idcirco habet rationem causæ. Ergo forma est vera causa.

III. De causa exemplari.

429. — Ad causam formalem revocari potest causa exemplaris, quatenus hujus causalitas in hoc solum consistit quod per imitationem passivam concurrit ad dandam similem formam et speciem effectui. Verumtamen exemplar ad causam efficientem revocatur a Suarezio

et aliis communiter, quia concurrit ad opus in quantum artificem reddit aptum ad agendum; conspirat enim *dirigendo;* itaque est quædam causa efficiens moralis. Sed prætermissa disputatione hac, qua quærunt utrum exemplar magis proprie dicatur causa efficiens quam causa formalis, indolem causæ exemplaris breviter explanabimus.

Quod vero ad nomen attinet, *exemplar* idem significat ac *idea :* « Idea græce, ut ait S. Thomas post S. Augustinum, idem est ac forma vel species, in lingua latina ». Potest ergo exemplar definiri : *conceptus objectivus in cujus similitudinem fit aliquod opus ex intentione operantis.* Diximus *conceptus objectivus,* potius quam *subjectivus* seu formalis; nam non est tantum forma mente præconcepta, sed forma quam agens respicit et intuetur, dum operatur; est simul conceptus et objectum conceptuum; et revera dum imitationem exemplaris quærit agens, ejus diversi conceptus formales terminantur ad hunc conceptum objectivum.

Planiori modo potest etiam describi causa exemplaris : *id ad quod respicit agens dum operatur, ut ad ejus imitationem producat effectum.*

Ex his definitionibus constat sola agentia intellectu prædita exemplaribus ideis uti posse. Patet etiam hæc agentia eminenter effectus perfectionem præcontinere.

430. — Duplex solet distingui exemplar 1° aliud *externum,* ut est imago vel scriptura oculis objecta, quæ imitanda proponitur, et 2° aliud *internum,* quod anima seu mente formatur. Exemplar internum habet proprie et per se causalitatem veram, nam exemplar externum nonnisi per internum causalitatem exemplaris habet. Prima definitio, quam tradidimus, respicit solum exemplar internum.

431. — Thesis *Exemplar est vera causa.*

Probatur. Ars ad opera artificialia concurrit ut vera causa. Atqui concurrere nequit nisi per exemplar quo operans dirigitur in suo opere. Ergo exemplar ad opera arte facta concurritut vera causa.

CAPUT V.

DE ENTIUM PERFECTIONIBUS.

432. — Perfectio dicitur id omne quod ens aliquo modo complet : perficere idem sonat atque ex integro facere; et ideo aliquid dicitur perfectum quia integrum. Realitates igitur quibus ens obtinet suum complementum, partiales ejus perfectiones constituunt, quarum cumulus constituit perfectionem totalem.

Ratio perfecti expostulat ut enti nihil desit vel 1° secundum esse proprium, vel 2° secundum naturalem inclinationem ad finem. Est igitur perfectum tum 1° ens quod finem assequitur tum 2° ens aptum fini assequendo.

Hinc regula omnis perfectionis est finis : hæc regula est *simplex* vel *composita*, prout ens habet unum finem vel plures fines coordinatos.

Perfectio reapse a bonitate non distinguitur; nam ens, prout aliquam habet realitatem, dicitur bonum, et pariter vi hujus realitatis seu perfectionis dicitur perfectum.

433. — Totalis perfectio entis est vel relativa vel absoluta. Dicitur *relativa*, quando in aliquo genere continetur; vocatur etiam *qualificativa* ac *gradualis;* dicitur *absoluta*, quando est supra omne genus et in ipsa entis ratione. Hæc perfectio *entitativa* seu *transcendentalis* est integritas rei constantis omnibus quæ desiderantur ad ejus constitutionem in ratione talis entis : et hæc convenit *omni* prorsus enti.

Perfectiones partiales sunt vel simplices, vel mixtæ, seu *secundum quid :* sunt *simplices* quando earum conceptus nullam involvit imperfectionem; v. g, intelligentia, justitia, sapientia, etc. Perfectiones dicuntur *mixtæ*, quando in suo conceptu aliquam continent imperfectionem; v. g., facultas ratiocinandi.

Perfectio relativa habet gradus, ac proinde potest esse vel major vel minor, sive extensive, sive intensive. *Extensive* major est 1° quando præstantioribus realitatibus constituitur; 2° quando finis est sublimior. Est *intensive* major quando 1° est ad finem assequendum magis idonea atque 2° cumulatius possidet propria sui generis.

434. — Jamvero perfectiones entium *generaliores*

quæ ad objectum ontologiæ pertinent, possunt considerari 1° quoad ipsam realitatem, 2° quoad existentiam existendique modum. Ens enim, ut constat ex dictis (267), potest concipi 1° prout est quædam realitas; 2° prout existit; quocirca dici potest perfectum quatenus illi nihil deest sive in ordine *realitatis*, sive in ordine *existentiæ*.

Hinc caput præsens de perfectionibus entium in duos articulos dividemus.

ARTICULUS I.

De entium perfectionibus quoad realitatem.

435. — Ens aliquod spectatum in se, seu præ realitate qua constat, est realitas quædam vel simplex vel composita; in hoc ultimo casu exhibet aliquod totum ex partibus coalescens. Ens etiam aliquod concipi potest ut habens aliquam realitatem infinitam, et tunc ejus perfectio est *infinitas*, vel ut habens realitatem finitam, et tunc ratio finiti constituit ejus perfectionem. His de causis disserere hoc loco 1° de simplici et composito, 2° de finito et infinito expedit.

§ I. De composito et simplici (*a*).

De composito.

436. — Compositio, quæ juxta vim nominis et universim est simul positio duarum rerum ex quibus tertia resultat, accipi potest 1° *active*, nempe pro unitione unius cum altero, et dici solet compositio *ad hæc*, 2° *passive*, pro re ipsa effecta, nempe *pro uno ex pluribus resultante*, et appellatur compositio *ex his*, et est ipsum compositum.

Ens ergo compositum est *id omne quod ex pluribus constat simul junctis*. Potest ergo compositum in plura resolvi.

437. — Compositio triplex distingui solet, realis seu physica, logica et metaphysica.

1° Compositio dicitur *physica*, quando exsurgit ex partibus realiter diversis; ejus ergo componentia sunt realiter distincta (99 1°, et 386 1°); v. gr. animus et corpus in homine. Itaque ad compositionem physicam tria re-

(*a*) D. Thom. p. I. qu. 3 art. 7. — *Contra gentes* lib 3 cap 118.

quiruntur : 1° unitas realis, 2° distinctio realis inter partes componentes, 3° concursus illorum extremorum ad unum, et unitio in illo uno. Cum illa compositione simplicitas consistere nequit, ac proinde est compositio proprie dicta.

2° Compositio dicitur *logica* seu rationis, quando coalescit ex partibus sola cogitatione distinctis : v. g. ex genere et differentia sumptis formaliter, nempe ut sunt prædicabilia (49). Est ergo cognitio componens atque conjungens partes sola ratione distinctas e quibus resultat tantum, ut species ex genere et differentia.

Notandum quod aliqui revocant compositionem logicam ad metaphysicam, aut vicissim; nos autem, post multos, unam ab altera distinguimus, quatenus logica jungit partes sola ratione distinctas, metaphysica vero partes distinctione reali modali (387) diversas, Itaque,

3° Compositio dicitur *metaphysica* quando exsurgit ex partibus distinctione formali discriminatis. In hoc ergo composito habetur quidem separabilitas componentium; sed hæc separabilitas non est mutua, ideoque hæc conpositio distinguitur a physica et a logica stricte sumpta.

Compositiones ex essentia et modis ejus contingentibus, ex suppositalitate et natura, sunt compositiones metaphysicæ.

III. De simplici.

438. — Simplex, quod composito opponitur, per hujus negationem definitur. Sed compositum partibus coalescit sive *actu*, sive potentia distinctis. si est compositum physicum, et sola ratione, si est compositum logicum aut metaphysicum; et exinde aliquid dicitur *physice* simplex, quando non constat partibus realiter aut potentialiter diversis, dum ens dicitur *metaphysice* simplex, quando nec *re* nec *ratione* potest in partes resolvi, licet distinctiones rationis admittere possit. Hinc simplex erit *id omne quod pluribus non constat.*

439. — Simplicitas et compositio possunt considerari in aliquo genere, v. g., in genere substantiæ, in genere qualitatis, etc. Simplicitas, quæ nullo modo resolvi potest, dicitur *absoluta*, et idcirco non est in aliquo genere.

Simplex in quodam genere est aliquo modo divisibile : licet enim non possit resolvi juxta eam rationem qua dicitur simplex, verumtamen sub alio respectu potest esse divisioni obnoxium : v. g. substantia simplex, ut animus, est divisibilis secundum plures facultates; aurum, quoad speciem substantiæ, non est aliquod compositum ex variis metallis : spectata igitur sola ratione substantiæ, aurum potest dici simplex, licet ratione quantitatis, sit aliquod compositum. Ergo *simplex ab inextenso differt.*

440. — Thesis. *Notio simplicis mere negativa non est.*

Probatur. Notio simplicis aliquam præ se fert positivam realitatem quæ compositionem excludit; v. g. actus animi simplices sunt quædam realitates positivæ, quas refert sensus intimus. Atqui realitates positivæ quæ compositionem excludunt, non sunt perfectiones sola exclusione compositionis constantes. Ergo notio simplicis mere negativa non est, sed simul constat aliqua positione et aliqua negatione.

§ II. De finito et infinito (*a*).

441. — Finitum, juxta vim nominis, idem est ac limitibus circumscriptum, ac proinde finitum dicitur ens *quod limites habet.* Infinitum idem est ac limitum expers, et exinde definiri potest : *Id quod limites non habet.* Igitur finitum et infinitum important, primum, affirmationem, et secundum, negationem limitis.

Ad veram sive infiniti, sive finiti notionem nobis comparandam, sedulo quærere debemus, *quid est limes?* Idea limitis duo involvit : 1° affirmationem aliquam 2° alicui negationi admixtam; significat enim simul aliquam realitatem et defectum ulterioris perfectionis in ea. Est ergo ex parte *positiva*, nam nihilum per se non habet limites; ut sit limes, requiritur realitas limitata. Est ex parte *negativa*, nam confinium importat exclusionem alicujus ulterioris perfectionis.

442. — Finitum potest considerari *in aliquo genere* perfectionis, aut sub sola ratione communi finiti, quæ

(*a*) D. Thom. *Contra gentes* lib. 1. cap. 43. — *Quodlib.* III art. 3. — P. I. qu. 3; qu. 13, art. 1; qu. 7, art. 4. — *De veritate*, qu. 8, art. 2.

omnibus prorsus entibus, quocumque modo limitatis, competat : et tunc dicitur *finitum in communi, seu abstracte ac simpliciter sumptum.*

Finitum in aliquo genere, seu finitum *aliquod,* est hoc ens reale quod tales limites determinatos habet.

Finitum *simpliciter sumptum* est ipse conceptus abstractus omnium entium realium, aut possibilium, certos limites habentium. Ens finitum, sic absolute sumptum, non est unum simpliciter, sed tantum secundum abstractionem, seu communem rationem : plures autem ac varias rationes entium finitorum sub se comprehendit.

443. — Infinitum aliud est actu, aliud potentia infinitum, prout omnem perfectionem actu habet, vel in ratione perfectionis sine fine augeri potest. Primum a veteribus appellabatur infinitum *categorematicum,* et alterum, *syncategorematicum,* quod proprio nomine vocatur *indefinitum.* Indefinitum proprie non est sine fine, sed *sine fine finitum,* quatenus semper capax est ulterioris incrementi, ac proinde semper limitatum respectu hujus adventitiæ perfectionis.

Infinitum syncategorematicum fieri potest tripliciter, scilicet vel *additione,* aut detractione, ut in numero; vel *successione,* ut in tempore et motu; vel *divisione,* ut in continuo.

444. — Thesis. I. *Infinitum actu nequit mensurari quocumque modo.*

Probatur. Mensuratio fit successivis applicationibus unitatis. Atqui hæc successiva applicatio habet rationem numeri finiti. Ergo infinitum nequit mensurari quin sit simul finitum et infinitum. Constat enim applicationem hanc habere rationem finiti, quia fit per jugem additionem, cujus *norma* est mensura *finita.*

445. — *Corollarium.* Exinde patet notionem infiniti non haberi per continuam additionem finiti; secus infinitum præterquam quod esset aliquid compositum, limitibus non vacaret; nam talis additio perfectioni *terminatæ* nonnisi terminatam adjungeret perfectionem. Ergo falsa est opinatio Lockii putantis conceptum infiniti efformari per interminabilem seriem et accretionem finitarum perfectionum.

446. — Thesis II. *Differentia finiti ab infinito non potest esse aliquid finitum.*

Probatur. Si hæc differentia finita finito addita constitueret infinitum, duæ quantitates finitæ infinitam æquarent, ac proinde infinitum mensurari posset. Ergo ex falsitate consequentis patet falsum esse antecedens.

447. — Thesis III. *Multitudo actu infinita repugnat.*

Probatur. Si multitudo esset actu infinita, cumulus unitatum quibus constat, deberet esse infinitus. Atqui id repugnat. Ergo nulla datur multitudo actu infinita.

Probatur minor. Ille numerus infinitus non differret a numero immediate præcedenti et finito, nisi *unitate*, seu ultimo incremento. Ergo differentia inter finitum et infinitum una tantum unitate constaret, quod manifestam importat absurditatem.

448. — *Corollarium.* Hinc, 1° repugnat extensio realis infinita et tempus reale actu et ex omni parte infinitum.

2° Quantitates infinitæ mathematicorum non constituunt infinitum actuale, sed solummodo connotant quantitatem finitam in se, quæ tamen est terminus inexsuperabilis alicujus seriei indefinitæ : hic terminus nullam habet communem mensuram cum elementis quibus constat ipsa series ; et propter hanc improportionem, hæc series, quantumvis protracta, ad hunc terminum nunquam devenire potest. Hinc respectu hujus legis incrementi aut decrementi dici potest infinitum, licet in se sit aliquid finitum, quod cum unitatibus alterius ordinis mensurari potest; sed cum norma seriei quam claudit, mensurari nequit.

449. — Thesis IV. *Notio finiti non fundatur in prævia infiniti notione.*

Nota. Plato, Cartesius, Fenelon et alii censuerunt finiti notionem nonnisi per infiniti conceptum cognosci. Finitum enim aliquam importat limitationem, ac proinde cognosci nequit, nisi limes quo determinatur, sit prius cognitus. Porro, juxta laudatos auctores, limitatio finiti non posset inveniri nisi in infinito ; nam aliquid a semetipso non limitatur. Inde finiti notio in prævia infiniti notione fundaretur.

His præmissis, ad probationem thesis aggredimur.

I. Eatenus notio finiti necessario fundaretur in prævia notione infiniti, quatenus obtineri non posset nisi ope hujus præviæ notionis. Atqui notio finiti revera aliter obtineri potest, seu notionem infiniti non necessario subaudit. Ergo finitum sine prævia infiniti notione cognoscere valemus.

Major non potest negari ab adversariis, nam ipsam refert rationem qua adstruunt necessitatem præviæ notionis infiniti.

Minor tantum probari debet. Finiti notio, ut antea diximus, duo importat, scilicet entitatem aliquam, et limitem hujus entitatis, seu negationem ulterioris realitatis (441).

Porro 1° nihil vetat quominus aliquam *realitatem* cognoscamus sine hac prævia notione infiniti : et hoc libenter fatentur adversarii.

2° *Negatio*, quam importat notio finiti, potest etiam facillime explicari sine prævio conceptu infiniti. Etenim *limes* non importat nisi negationem alicujus superioris perfectionis sive finitæ, sive infinitæ. Si necessario diceret negationem infiniti, enimvero sine hac notione explicari non posset; sed realitas finita in alia realitate finita profecto includi potest : et exinde ab ipsa limitari : v. g. homo in hac exedra, ager in aliqua regione, exhibent res limitatas quarum limes non est aliquid infinitum. Ergo hæc ulterioris perfectionis negatio non necessario relationem dicit ad infinitum. Dum habeo præ oculis rem quæ continetur, et rem quæ continet, video primam esse ab alia limitatam. Hinc ad negationem, quam includit notio finiti, explicandam, sufficit cognitio graduum inter res finitas.

II. Confirmatur thesis 1° ex eo quod finitum in variis linguis non est vox negationem infiniti importans, dum infinitum semper exhibetur ut negatio finiti. Ergo ex indole linguarum constat tantum abesse ut notio finiti obtineatur ex negatione infiniti, quod infiniti notio exhibeatur ut efformata ex negatione finiti.

Confirmatur 2° quia reapse obtinemus notionem infiniti ex consideratione variorum graduum qui in entibus finitis reperiuntur, ita ut finitum aliquod includatur in majori, et sic indefinite. Ex hac indefinita remotione

limitum finitorum assequimur conceptum infiniti omnem limitem excludentis.

450. — *Scholium.* Adversarii potissimum decipiuntur ex eo quod limitem considerant tantummodo juxta communem rationem finiti (442), quæ de omnibus finitis actualibus et possibilibus prædicari potest. Concipiunt hanc rationem communem ut aliquod finitum universale, objectivum, omnia finita creata et creabilia complectens. Jamvero limites hujus fantastici finiti inveniri certo nequeunt nisi in infinito; nam Deus solus possibilitatem limitationis a se repellit. Ipsa igitur abstractio, seu universalitas fit elementum objectivum seu aliqua notio quæ ingreditur in comprehensionem ideæ finiti : atque hac confusione peracta, originem hujus ideæ non invenire amplius queunt nisi in conceptu infiniti.

ARTICULUS II.

De entium perfectionibus quoad modum existendi.

451. — Ens, quoad modum existendi spectatum, varias etiam sortitur perfectiones, ac proinde varie determinatur ac dividitur. Modi existendi sunt 1° necessitas et contingentia, 2° immutabilitas, et mutabilitas, 3° æternitas, ævum et tempus. Hi modi dicuntur perfectiones, quia exhibent veluti ultimum complementum in ratione existendi.

Istæ perfectiones, una cum superioribus, dicuntur etiam proprietates disjunctivæ, quatenus enti, ut sic, et singulis ejus inferioribus non simul conveniunt, ad discrimen proprietatum simplicium, quæ simul enti et singulis ejus inferioribus competunt.

§ I. De notione entis necessarii et contingentis *(a)*.

452. — Necessarium dicitur illud *quod est et non potest non esse*, contingens vero *quod potest esse et non esse.*

Triplex assignari potest necessitas et contingentia, nimirum *logica, physica et metaphysica.* Prima est modus quo *propositio* dicitur necessaria vel contingens (170). Secunda est modus quo *naturales causæ* sunt naturaliter determinatæ ad suos effectus : v. g., frigus est pro-

(a) D. Thom. p. I, qu. 3, art. 4.

prietas necessaria glaciei : hæc volitio est effectus contingens voluntatis. Tertia est modus quo *ens* est; huic proprie congruit definitio superius data.

Triplex etiam esse potest hæc necessitas metaphysica, et totuplex contingentia, scilicet in essendo, in existendo et in operando, prout ens aliter se habere nequit, vel potest, sive quoad *essentiam*, sive quoad *existentiam*, sive quoad *operationem*.

453. — Necessitas etiam distinguitur in *simplicem* et *secundum quid*. Necessarium *simpliciter* est id quod alio modo se habere nequit : est ergo necessitas *rei in se*. Necessarium *secundum quid*, est id quod requiritur ad finem aliquem assequendum; est ergo necessitas *medii alicujus*. Prima potest esse absoluta, et est necessitas entis omnino indefectibilis et invariabilis tum in essendo, tum in existendo, tum in operando. Secunda generatim potest etiam concipi ut necessitas entis invariabilis sub aliquo respectu, licet variabilis sub aliis.

454. — Thesis I. ***Necessitas metaphysica, absolute seu simpliciter sumpta, soli Deo convenit.***

Probatur. Illud est absolute necessarium cui repugnat prorsus omni contingentiæ modus. Atqui soli Deo repugnat omnis contingentia sive in essendo, sive in existendo, sive in operando. Ergo Deus solus est ens simpliciter et absolute necessarium.

455. Thesis — II. ***Omne contingens existere nequit nisi ab aliqua causa producatur.***

Probatur. Ens dicitur contingens, quia potest non existere, seu est ens indifferens ad existendum. Atqui id quod *intrinsecus* non determinatur ad existendum, nonnisi *extrinsecus* potest ita determinari. Ergo, cum existit, seu est semel determinatum ad existendum, id habere debet ab aliqua causa.

456. — *Scholium*. Contingens actu existens potest existentiam amittere, siquidem non intrinsecus, sed extrinsecus, determinatur ad existendum, ac proinde *in se* numquam habet rationem suæ existentiæ. Interiri potest sive per *corruptionem*, quando resolvitur in partes quibus constat : sive per *annihilationem*, quando ita destruitur, ut nihil illius remaneat. Substantia composita

utroque modo interire potest, dum substantia simplex, nonnisi per annihilationem, amittit entitatem.

457. — THESIS III. *Quodlibet ens, præter Deum, est vel contingens, vel necessarium necessitate secundum quid.*

Probatur 1° Quod alia entia, præter Deum, non sint simpliciter et absolute necessaria, id constat ex antea dictis (454); hinc illis non potest competere nisi necessitas secundum quid.

2° Quod habere possint hanc necessitatem secundum quid, manifestum est; nam, saltem quoad essentiam, res sunt necessariæ (281).

3° Entia creata sunt contingentia, quatenus transeunt e nihilo ad esse physicum, et exinde in *existendo* dicuntur simpliciter contingentia.

458. — *Scholium.* Ens aliquod potest dici necessarium quidem, sed necessitate secundum quid, quantum ad existentiam, cum in se non habeat principia corruptionis; quales sunt angeli et animæ rationales : contingens vero, quantum ad operationes : possunt enim ab una operatione in aliam permutari, imo etiam possunt agere vel non agere.

§ II. De notione entis mutabilis et immutabilis *(a)*.

459. — Ens necessarium immutabilitatem sibi vindicat, dum ens contingens, prout tale, mutationi est obnoxium. Disputatio igitur de mutabilitate et immutabilitate immediate sequitur tractationem de necessitate et contingentia.

Mutatio est transitus entis ex uno statu se habendi in alium statum. Ad mutationem tria requiruntur : 1° terminus *a quo*, 2° terminus *ad quem* et 3° utriusque subjectum. Terminus *a quo* est id a quo incipit motus; terminus *ad quem* est finis motus; subjectum est id quod transit ab uno termino in alium.

Quamobrem ens illud mutari potest quod est indifferens ad terminum. Ergo ens simpliciter necessarium, quod ita est ut concipi non possit tanquam indifferens in existendo, non est mutationi obnoxium.

460. — Mutabilitas dividi potest, 1° in intrinsecam et extrinsecam. Mutabilitas *intrinseca* consistit in eo quod

(a) D. Thom. p. I, qu. 45, art. 1, 2; qu. 9, art. 1, 2.

possit recipere vel amittere aliquam perfectionem intrinsecam. Mutabilitas *extrinseca* consistit in diverso ordine quem ens recipere vel amittere potest ad alia entia. Ex. : quando quis ex indocto evadit doctus, fit in illo mutatio intrinseca; quando quis a dextera alicujus hominis se vertit ad sinistram, fit mutatio extrinseca; prior respectus immutatur.

2° Immutabilitas vel mutabilitas, non secus ac necessitas et contingentia, spectari possunt quoad essentiam, quoad existentiam, et quoad operationem, id est, quoad ea omnia quæ existentiam consequuntur.

461. — Ens quod mutationem non subiit, dicitur sibi identicum. Si hæc identitas omnimodam repellat mutationem, dicitur *absoluta;* si in ente aliqua fit mutatio quæ tamen sensum effugiat, identitas erit *relativa;* denique si aliquid varias subiit mutationes, quæ sub sensus cadunt, et tamen in communi hominum æstimatione illud ut idem habeatur, hæc identitas dicitur *moralis*; v. gr., ædificium fere ex integro pedetentim restauratum est moraliter sibi identicum.

462. — Mutatio consideratione tantum, scilicet ratione, distinguitur ab actione et passione. Mutatio enim, prout consideratur in agente vel est ab agente, dicitur *actio:* prout in patiente seu recipiente actionem agentis spectatur, *passio* appellatur; quapropter mutatio ratione ab utraque distinguitur.

§ III. De notione entis æterni, æviterni et temporanei *(a)*.

463. — Æternitas, ævum et tempus sunt diversæ species durationis. Durationis nomine intelligitur *perseverantia, seu permanentia rei cujuslibet in suo esse.*

Duratio distribuitur a philosophis in *increatam*, quæ soli Deo convenit, et *creatam*, quæ creaturis competit.

Duratio creata subdividitur in *ævum* et *tempus* ab illis qui nullam successionem admittunt in ævo.

Omnis igitur entium duratio reducitur ad æternitatem, æviternitatem et tempus, vel juxta aliquos, ad æternitatem et tempus.

(a) D. Thom. p. I, qu. 10, art. 1 et 4, ad 2; art. 5. — I Dist. XIX, qu. 2, art. 1. — Lect. 23 in IV *Physicor.* et lect. 17.

I. De æternitate.

464. — Æternitas est duratio entis increati et immutabilis. Hæc duratio est *existentia sine initio, sine fine, sine successione.* Definitur a Boetio (Lib. V, *De consolatione phil.*) *Interminabilis vitæ tota simul et perfecta possessio.*

Dicitur 1° *Interminabilis vitæ;* æternitas enim soli Deo proprie convenit, cujus Esse (ut vita sumptum) initio et fine caret, seu *terminos* non habet nec habere potest. 2° *Possessio,* quia Deus vivit vita nobilissima et indefectibili, et exinde ita permanet in esse, ut suum esse plene possideat. 3° *Tota simul,* id est, nullo modo successiva, quia ens successivum dici nequit simpliciter interminatum, quippe quum partes habeat finitas et limitatas : in actu vero absoluto et necessario, nihil est quod non semper eodem modo sit. Dicitur 4° *perfecta,* quia quum sit Deus supremum omnium entium, est actus purus, in quo successio absolute repugnat.

Ex hac definitione constat in æternitate non reperiri sive *transactum* sive *futurum,* sed tantum *præsens.*

465. — At aliquando solemus æternitati sine errore tribuere præteritum ac futurum; et hic usus loquendi reperitur etiam in sacris Scripturis, ubi tria tempora Deo tribuuntur. Æternitas enim duplici respectu considerari potest, scilicet : 1° *formaliter,* et tunc est indivisibilis, immutabilis; 2° potest etiam considerari *virtualiter,* et quoad relationem extrinsecam quam habet ad eam tempus, et præ hujus relatione extrinseca dici potest divisibilis et successiva.

Istæ dictiones, quæ sine errore enti æterno tribuunt futurum, præsens et transactum, desumuntur ex nostro concipiendi modo, qui durationem non determinat nisi per comparationem ad tempus. Conceptus transacti et futuri sunt complexi et duo continent : *positionem* aliquam et *negationem,* nempe 1° affirmant realem existentiam ante vel post præsens, 2° negant actualem possessionem existentiæ. Hi conceptus, ut per se patet, æternitati applicari nequeunt, nisi juxta affirmationem.

466. — Quia æternitas omni tempori coexistit, potest considerari ut respondens variis temporis partibus. At hæc coexistentia non ita accipi debet, ac si quædam

æternitatis partes partibus temporis responderent; nam tota simul coexistit cuilibet tempori, et tota omnibus temporibus.

II. De æviternitate.

467. — Duratio creata perseverans (463) dividitur in durationem immutabiliter *natura sua* permanentem seu non successivam, quæ *ævum* appellatur, et in eam, quæ est successiva seu ex se habet permanentiam non immutabilem, sed natura sua defectibilem, scilicet quæ reapse habere potest finem.

Quod ad nomen attinet, *ævum* græce sumitur etiam pro æternitate; sed ex usu Theologorum sumitur pro duratione rerum incorruptibilium, seu angelorum et animarum rationalium.

Æviternitas a quibusdam definitur : *Duratio creata permanens et incorruptibilis ab intrinseco*. Dicitur 1° *duratio creata*, inde diversa ab æternitate; dicitur 2° *permanens*, quia est duratio rerum permanentium, quæ scilicet partem post partem non obtinent, quales sunt angeli et animæ rationales. Dicitur 3° *incorruptibilis ab intrinseco*, ut æviterna distinguantur a compositis physicis, quæ corruptibilia sunt ab intrinseco : sic distinguitur a tempore.

468. — Ævum, ut constat ex dictis, partim cum æternitate, partim cum tempore convenit, et ab eis discrepat. Convenit quidem cum æternitate, eo quod tota sit simul et indivisibilis duratio carens fine et successione prioris et posterioris : per quod a tempore distinguitur. Convenit vero cum tempore quatenus habuit exordium, et posset habere finem, saltem per extraordinariam Dei potentiam.

Attamen sanctus Bonaventura negat ævum esse durationem permanentem, licet sit duratio rei permanentis, seu putat esse durationem successivam.

Sanctus Thomas vero cum omnibus fere Theologis sententiam tenet huic contrariam. Et hæc secunda sententia ut vera et certa proponitur a Suarezio. Rationes quibus fulciuntur istæ sententiæ prætermittimus, quia duratio, quæ est perseverans entis existentia, non potest aliter determinari, nisi quærendo quid sit ens cujus duratio determinanda est; sed præterquam quod natura

angelica non est rationi humanæ omni ex parte pervia, ejus disquisitio ad ontologiam non pertinet. Tamen potest generatim dici contra primam sententiam, quod in substantiali existentia angelorum non est realis successio; quapropter ævum non potest esse duratio successiva.

III. De tempore.

469. — Temporis natura est adeo explicatu difficilis, ut sanctus Augustinus, in libro XI *Confessionum*, cap. 14, fateatur illius notitiam se assequi non potuisse. Sic enim ait : « Quid est tempus ? Si nemo ex me quærat, scio; si quærenti explicare velim, nescio ». Licet nihil familiarius et notius in loquendo sit quam tempus, tamen hujus notionis analysis est omnium fortasse difficillima. « Fidenter tamen », subjungit sanctus Augustinus in eodem loco, « dico : scire me quod si nihil præteriret, non esset *præteritum* tempus, et si nihil adveniret, non esset *adfuturum* tempus; et si nihil esset, non esset *præsens* tempus ». Temporis ergo notio tria elementa continet : præteritum, præsens et futurum, ac proinde est *duratio cum successione*. Igitur in ratione temporis includitur essentialiter successio.

Quum tempus sit duratio entis *mutationibus* obnoxii, a nonnullis definitur post Aristotelem : *Mensura motus* (1) *secundum prius et posterius*.

Dicitur 1° *mensura motus*, quia tempus est duntaxat mensura rerum successivarum. Sicut per mensuram judicamus plus vel minus in re qualibet, sic per tempus plures aut pauciores in subjectis permanentibus mutationes sibi succedentes agnoscimus. Dicitur 2° *secundum prius ac posterius*, quia tempus, sive duratio motus est ipse motus, prout habet prius et posterius. Quotuplex sit tempus, infra opportunius dicetur, distinctiori effecto conceptu temporis, per sequentem thesim.

(1) Motus ab Aristotele (3 Phys. sect. 6) definitur : actus entis in potentia, prout in potentia est. Dicitur 1° *actus*, quia informat et actuat ipsum mobile. Dicitur 2° *entis in potentia*, i. e. ipsius subjecti, quod est in potentia ad aliquam aliam formam. Dicitur 3° *prout in potentia*, quia est actus imperfectus, qui actuat suum subjectum, prout istud est in potentia ad talem formam. Itaque constituit subjectum formaliter in via ad formam ulteriorem.

470. — Thesis I. *Tempus, et generatim duratio, non distinguitur realiter a re durante, sed ratione duntaxat* (1).

Probatur prima pars. Duratio est extensio quædam et continuatio existentiæ. Atqui hoc ipso quod res aliqua producitur et conservatur, nempe quod terminat actionem productivam et conservativam, durat vel instanti vel tempore. Ergo nihil aliud realiter est duratio quam res durans.

Probatur secunda pars. Duratio tamen distinguitur ratione ab existentia. Proprie enim duratio existentiam non dicit, sed perseverantiam aliquam in eadem existentia. Atqui hæc perseverantia, licet non sit aliquid realiter distinctum a re perseverante, aliquid nihilominus dicit quod formaliter non includitur in conceptu existentiæ. Etenim conceptus durationis conceptui existentiæ addit notionem successionis aut permanentiæ. Ergo tempus aut duratio generatim inspecta a re durante ratione distinguitur.

471. — Thesis. II. *Tempus intrinsecum non distinguitur realiter a motu rerum.* Contra plures, quos refert et sequitur P. de San. (2).

Nota. Tempus a philosophis distingui solet in intrinsecum et extrinsecum. *Intrinsecum* est duratio successiva rerum quæ tempore mensurantur. *Extrinsecum* vero eadem est rerum duratio, quatenus ordinem et respectum dicit ad motum alicujus externi corporis, per quem duratio successiva rei mensuratur.

Probatur. Quæ distinguuntur realiter, aut possunt realiter separari, aut sunt in diversis subjectis, aut ex illis

(1) Aliqui, præsertim recentiores, hanc Suarezii sententiam impugnant, et ostendere conantur durationem talis rei esse formaliter successivam, ideoque eam quoad omnes suas partes *realiter distingui a re cujus est duratio.* (P. de San. Inst. meth. spec. de temp. prop. II[a]). Sed probationes, quæ unice desumuntur ex duratione substantiæ angelicæ, fundantur in variis hypothesibus quæ repelli possunt, vel etiam explicari facile queunt in nostra sententia. Etenim indifferentia angeli ad existendum tempore majori vel minori, aut ordo qui potest esse inter substantias angelicas, potius de duratione extrinseca quam de intrinseca intelligi debent.

(2) L. c. § II prop. 1.

unum producitur ab altero. Atqui idem *numero* motus 1° separari realiter a duratione sua intrinseca nequit, 2° motus et duratio non sunt in diversis subjectis, nec denique 3° motus a duratione realiter producitur, aut vicissim. Ergo tempus intrinsecum a rerum mutationibus non distinguitur.

Corollarium. Existentia rei mutabilis semel adepta perseverat sine interruptione usque ad suum interitum, ac proinde permanentia existentiæ mutabilis exhibet aliquid continuum. Hinc tempus reale, quod est hæc ipsa permanentia existentiæ mutabilis, est continuum; non constat ergo ex indivisibilibus, ut melius postea videbimus, dum agemus de continuo.

472. — *Scholium.* Tempus potest per abstractionem mentis considerari in se, præscindendo a rebus mutabilibus, et tunc habetur tempus possibile, seu absolutum, aut imaginarium et ideale : quod nihil aliud quidquam est quam possibilitas successionis.

EXPLICIT ONTOLOGIA

INDEX SYNOPTICUS.

PRIMI VOLUMINIS.

PROŒMIUM.

§ I. De Philosophiæ definitione.

§ II. De utilitate Philosophiæ.

§ III. De habitudine Philosophiæ ad alias scientias.

quia lumen naturale infinite distat a lumine divino. Etsi ancilla, tamen ex aliqua parte, adjutrix est ipsius Theologiæ.

§ IV. De Philosophiæ partitione.

Philosophia, inspecto objecto, in partem theoreticam seu Metaphysicam, et in partem practicam seu Ethicam partitur, quibus pars quædam propædeutica adjici debet, per quam aditus patet ad illud objectum. Unde per ordinem numeratur triplex pars Philosophiæ, nempe Logica, Metaphysica, Ethica. 6

PRIMA PARS PHILOSOPHIÆ

LOGICA.

Logica, cujus objectum est ordo quo instrui debent operationes mentis ad verum assequendum, dividitur *in naturalem* seu *innatam*, et *artificialem* seu *scientificam*, quæ rationem scientiæ et artis habet eo quia gignitur per reflectionem, et normæ instar actus mentis ad verum dirigit. 9

Logica scientifica rursus dividitur in *formalem* seu *dialecticam* et *materialem* seu *criticam*. Inde in prima Philosophiæ parte duplex pars. 10

PRIMA PARS LOGICÆ

Logica formalis versatur circa ordinem conceptuum, intuitu scientiæ adipiscendæ. Unde in dialectica, perspectis prius constitutivis ratiocinii elementis, seu simplici apprehensione et judicio, ad ipsum ratiocinium ex ipsis conflatum, ac denique ad methodum qua ipsa coaptantur raciocinia, migrabimus. 11

CAPUT I.

DE SIMPLICI APPREHENSIONE.

Simplex apprehensio est operatio qua mens aliquod objectum attingit. Est ergo conceptio cujus effectus est conceptus. Sed quia homo suos conceptus manifestandi facultate gaudet, in hoc capite agemus de conceptibus et simul de signis conceptuum. 12

ARTICULUS I.

De conceptibus.

I. Quid est conceptus?

Conceptus est similitudo objecti in mente existens. At tamen sedulo distinguendus est conceptus a phantasmate imaginationis, quod semper aliquid individuale exhibet, dum conceptus abstrahit ab omni individuali conditione. Conceptus, præter alias appellationes, *terminus* nuncupatur, 1° quia id est ultra quod non progreditur analysis; 2° quia quodammodo extremam judicii partem tenet. 13

Conceptus objectum scientiarum constituit. Conceptus enim abstrahunt ab omni individuatione, ac proinde præ se ferunt quid immutabile : jamvero scientia est de immutabili. 14

II Quotuplex sit conceptus?

Conceptus dividi potest :

I Ex parte modi quo objectum concipitur, 1° *in clarum et obscurum*, 2° *in distinctum* et *confusum*. Distinctus rursus est *completus* vel *incompletus*. *Completus* est *adæquatus* vel *inadæquatus*. 3° Tandem conceptus est *comprehensivus* vel *apprehensivus*. 15

Scholium. Complexio notarum quibus constituitur idea, *comprehensio* dicitur, dum amplitudo ideæ in pluribus vel paucioribus individuis repræsentandis, *extensio* vocatur. 15

II Ex parte objecti, conceptus dividitur in *realem* et *logicum*. Idem sonant termini *primæ intentionis* et *secundæ intentionis*. 16

ARTICULUS II.

De signis conceptuum.

I. Signi notio.

Signum est id omne in quo aliud cognoscitur. Signum est *naturale* vel *conventionale*. Quod manifestat ideas, id signum idearum est. Loquela idearum signum perfectius exhibet. Præcise prout signum est simplicis conceptus, loquela *vocabulum* seu *terminus oralis* nuncupatur. 17

THESIS I *Vocabulum est signum conventionale et naturale*, quia relatio inter hoc signum et hanc ideam nonnisi ex quodam pacto resultat. 18

THESIS II *Vocabula immediate significant conceptus objectivos, et substituuntur pro conceptibus formalibus* 1ª pars : quia audienti res cognoscibiles reddunt. 2ª pars :

quia manifestant res ut a nobis *cogitatas;* idcirco erga alios vices gerunt conceptuum. 18

Hic agitur de terminis sub respectu logico et quatenus vim significandi habent.

II. De divisione terminorum vocalium.

I° Secundum *vim significandi* dividuntur termini : 1° *in univocos* et *æquivocos*, inter quos intermedius jacet terminus *analogus* (qui reduci potest ad *æquivocum consilio*), 2° in *vagos* et *fixos*, 3° in *categorematicos* et *syncategorematicos*. 19

II° Ratione *objecti*, dividuntur 1° in *abstractos* et *concretos*, 2° in *simplices* et *compositos*, 3° in *connotativos* et *absolutos*. 21

III° *Secundum extensionem*, dividuntur 1° in *proprios et communes*. Terminus *communis*, si ad omnia quibus applicabilis est, extenditur, dicitur *universalis;* si ad quædam tantum, *particularis;* denique si ad unum duntaxat significandum coarctatur, *singularis* appellatur; 2° in *collectivos* et *distributivos*. 21

Universalitas, particularitas et singularitas per alicujus particulæ appositionem dialectice determinantur. Terminus nulla affectus particula determinante remanet communis. 22

III. De terminorum affectionibus.

Proprietates quas sortiuntur termini, prout in propositione continentur, sunt:

I° *Suppositio*, quæ est usus termini pro re aliqua : est *materialis*, vel *formalis*, quæ rursus evadit *logica* vel *realis*. 23

II° *Ampliatio*, qua extenditur terminus a minori ad majorem significationem. 24

III° *Restrictio* quæ est coarctatio termini a majori significatione ad minorem 24

IV° *Appellatio*, qua applicatur notio per unum terminum significata, ad rem significatam per alium terminum. 22

CAPUT II.

DE JUDICIO.

ARTICULUS I.

De natura judicii et propositionis.

§ I. De judicio.

Judicium est operatio mentis qua comparantur et colligantur inter se duæ ideæ. Hinc judicium requirit 1°

2° Genus superius ultra subalternum extenditur, ac proinde prædicari potest de omnibus inferioribus subalternis : paucioribus enim notis constat. Hinc : *quo major est extensio eo minor fit comprehensio.* 34

Abstractio est operatio mentis qua relictis aliquibus notis cujusdam notionis complexæ, aliæ seorsim considerantur, quæ proinde notione illa magis composita generaliores evadunt. 35

ARTICULUS IV.

De divisione judiciorum et propositionum.

I. De divisionibus quæ judiciis et propositionibus simul competunt.

I *Ratione materiæ proximæ,* propositio est *necessaria*, vel *impossibilis*, vel *contingens.* 35

II *Ratione materiæ remotæ* seu terminorum, propositio est vel *simplex*, vel *composita,* Composita est vel *conditionalis*, vel *copulativa,* vel *disjunctiva*, vel *causalis.* 35

III *Ratione formæ* propositio est *affirmativa* vel *negativa.* Negativa semper prædicatum universale habet, quia universim attributum removet a subjecto. In affirmativa vero prædicatum plerumque est particulare. 36

IV *Ratione extensionis*, propositio dividitur in *universalem*, *particularem, indefinitam* seu *communem*, et *singularem.* Extensio propositionis semper repetenda est ex solo subjecto, nam forma propositionis tantum se porrigit quantum subjectum patet. 36

V Præterea propositiones etiam dividuntur in *modales* et *exponibiles*, quæ sunt vel *exclusivæ*, vel *exceptivæ*, vel *reduplicativæ.* 37

VI Ex *relatione signi ad rem significatam*, propositio est *vera* aut *falsa.* 37

II. De divisionibus quæ judicio sunt propriæ.

I Judicium est a *priori*, vel a *posteriori.* Judicium a priori mominatur etiam purum, analyticum, etc.; a posteriori vero empiricum, syntheticum, etc. 38

II Judicia analytica vel synthetica sunt etiam *immediata* vel *mediata.* 38

Corol. Judicia immediata per se evidentia et universalia, dicuntur axiomata. Hinc judicia analytica immediata semper sunt axiomata, dum synthetica, etsi immediata, non sunt semper axiomata, ob defectum universalitatis, quam tamen ope inductionis adipisci possunt. 38

ARTICULUS V.

De propositionum proprietatibus.

CAPUT III.

DE RATIOCINIO.

ARTICULUS I.

De natura ratiocinii.

CAPUT II.

DE FONTIBUS VERITATIS, SEU DE MEDIIS ASSEQUENDÆ VERITATIS.

ARTICULUS I.

De sensu intimo ejusque veracitate.

§ I. Quid sit sensus intimus?

§ II. An sensus internus sit verax?

ARTICULUS II.

De sensibus externis.

§ I. Brevis enumeratio sensuum externorum.

§ II. An sensus externi sint veraces?

ARTICULUS II.

De causis ignorantiæ.

METAPHYSICA.

PROLOGUS.

METAPHYSICA GENERALIS.

SEU ONTOLOGIA.

CAPUT I.

DE ENTE IN GENERE.

ARTICULUS I.

De conceptu entis.

I. Quid sit ens?

II. De nihilo.

III. De divisione entis in communi.

ARTICULUS II.

De essentia.

I. De conceptu essentiæ.

CAPUT III.

DE SUPREMIS ENTIUM GENERIBUS SEU DE CATEGORIIS.

FINIS INDICIS

VOLUMINIS PRIMI.